MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80408-17

AUTHOR:

LUCK, GERHARD

TITLE:

DE COMPARATIONUM ET TRANSLATIONUM...

PLACE:

NEUMARK

DATE:

1878-1880

Master Negative #

91-80408-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Lück, Gerhard,
...De comparationum et translationum usu Sophocleo ...vom ordentlichen Lehrer Lueck...Neumark, buchdruckerei von J.Köpfe, 1878-80.
pt.1-2 in 1 v. 25 cm.

At head of title: ...Bericht über das Progymnasium zu Neumark...

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 13½
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 1-13-92
INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202






Centimeter



Inches



VI. Bericht

über das

Progymnasium zu Neumark W./Pr.

und die mit demselben verbundene Vorschule

für das Schuljahr 1877–78,

mit welchem zu der

öffentlichen Prüfung der Schüler aller Klassen

am 4. Oktober 1878,

von 9 Uhr Vormittags und 3 Uhr Nachmittags ab,

im Namen des Lehrer-Collegiums

ganz ergebenst einladet

A. Scotland,
Progymnasial-Rektor.

Inhalt:



Neumark, 1878.
Buchdruckerei von J. Köpke.

1878. Progr. Nro. 21.

De comparationum et translationum usu Sophocleo.

Pars prior.

Comparationibus et translationibus a poetis ad exornandam illustrandamque orationem adhibitis plurimum tribuendum esse in natura et indole eorum cognoscenda studiorumque quibus dediti sint ratione patefacienda quum ab aliis tum ab Eduardo Muellero, viro elegantissimi iudicii, plane et distincte expositum est in commentatione quae inscribitur „ueber Sophocleische Naturanschauung“ *). Ibi postquam vir doctissimus demonstravit, veteres poetas tragicos et in ipso fabulae argumento, quod plerumque antiquitus traditum fuisset, pertractando et in personarum moribus describendis semper intra angustiores quosdam fines ac terminos compulsos fuisse, ut quid ex antiquis fabulis deprompsissent, quid ipsi invenissent aut innovassent nisi perraro diiudicari iam non posset, de imaginibus translationibusque quibus usi sint in hunc fere modum disserit: Certa quaedam, inquit, regio est, in qua summa et prope absoluta libertate poetae versari licet, immensa quaedam copia cogitationum, quae vel totae ipsius ingenio debentur nec ullo modo ex argumento aliunde assumpto repetitae sunt Hae vero sunt imagines et translationes, quibus poeta quae mente concepit tanquam sensibus subicit oculisque nostris proponit. Ex iis certissime cognosci potest, quo animus poetae nullis iam argumenti cancellis circumscriptus aut coercitus naturali quodam studio deducatur ac sese inclinet, ex iis apparet, qua vitae ratione poeta usus sit, quarum rerum cognitione studioque imbutus, quarum destitutus fuerit; quas igitur praesertim imagines, quas translationes ex ingenti illa copia undique affluente poeta deligat atque usurpet, quibus effingendis summam curam ac diligentiam insumat, quas splendidissimis coloribus exornet, accuratissime observandum erit, si de propria ac singulari qua fuerit animi ingeniique natura et indole rectum et sincerum facere volemus iudicium**).

*) Commentatio palmaris neque cuiquam qui ad Sophoclis tragoedias penitus cognoscendas studia sua conferet praetermittenda inserta est libello anniversario Liegnicensi a. 1842.

**) Ad sententiam haec expressa sunt.

Quae vere esse disputata hodie inter omnes qui ad hanc rem animum attenderunt constare existimo. Nec defuerunt qui in eandem sententiam deducti in exquirendis iam percensendisque quae apud scriptores singulos inveniuntur comparationibus metaphorisque elaborarent.*) Ex quibus quamquam nonnulli etiam in Sophoclis tragoediis eo consilio perscrutandis operam posuerunt, tamen rem nullo modo confecerunt aut absolverunt. Namque ipse ille Eduardus Muellerus pro commentationis suae ratione eas tantum adhibuit comparationes et translationes, quae quo naturae sensu imbutus fuerit Sophocles indicant et testantur, reliquas quae non minoris momenti sunt ad poetae ingenium pernoscendum fere omnes neglexit et omisit. Neque eas ipsas quae ad naturam pertinent cunctas proposuit aut percensuit. Parcius etiam egit Albertus Lindnerus, is qui in „cothurno Sophocleo“**) nonnullas affert metaphoras undique conquisitas, quibus quid probare aut efficere velit non magis liquet quam quod totius libri consilium sit aut propositum. Neque Hoppius denique et Radtkius quum trium tragicorum orationis figuratae capita singula attrectarent, illud quod ego animo informavi Sophocli praetitisse videntur. Quorum ille in commentatione quae inscribitur „de comparationum et metaphorarum apud tragicos Graecos usu“***) ita egit, ut quae de avium natura ac vita desumptae sunt imagines diligenter et accurate componeret et explicaret, reliquas a disputatione secluderet hic †) de tribus quidem iisque gravissimis translationum generibus quae ex agricultura, ex rebus nauticis venaticisque profecta sunt disputavit, sed ita disputavit, ut ex immensa illa imaginum quae eo referendae sunt multitudine singulas quasdam delibaret, non totam copiam exhauriret.

*) Praeter eas quae supra laudatae sunt commentationes nominatim hic commemoro: Goram, Pindari translationes et imagines in Philolog. tom. XIV., Schulze, de imaginibus et figurata Aeschyli elocutione, Halberstad. a. 1854, Tuch, de Aeschyli figurata elocutione, Viteberg. a. 1869, Wecklein, in libro qui inscribitur, Studien zu Aeschylus, Berol. a. 1872, Muetzell, de translationum apud Curtium usu, Berol. a. 1842, Pierson, „die Metaphern des Persius in mus. Rhen. tom. XII., Genther, ueber den Gebrauch der Metaphern bei Juvenal“, Viteberg. a. 1878. Nuper etiam in nostrorum poetarum elocutionem figuratam inquiri coeptum est, cf. Cosack: „Bild und Gleichniss in ihrer Bedeutung für Lessings Stil“, Gedan. a. 1869, Kuesel: „ueber Schillers Gleichnisse“, Gumbinn. a. 1874, Koester: „ueber Klopstocks Gleichnisse“, Iserlohn. a. 1878. In quibus praeter ceteras memorabilis est commentatio Piersoni, qui ipsa imaginum Persianarum ratione et indole patefacta ostendit, quantum aetas illius viri a pristina morum simplicitate remotissima gulae indulserit. Monuit me hoc Adolfus Kiesslingius, vir summus et grata piaque memoria semper mihi colendus, qui iam ante complures annos ut metaphorarum usum Sophocleum investigarem benigne me hortatus est. Sed otium hucusque defuit.

**) Berol. a. 1860.

***) In progr. Berol. a. 1859.

†) Diss. inaug. Berol. a. 1865 et postea in progr. gymn. Krotoschin. a. 1867. Commentationes sunt eleganter et nitide conscriptae.

Verumenimvero si eum quem par est ex comparationum translationumque cognitione et contemplatione fructum percipere volemus, primum non singula quaedam genera ad libidinem excerpenda, verum universa complectenda videntur. Deinde autem ne in ipsis quidem generibus percensendis satis est demonstrasse, has illasve imagines a Sophocle esse usurpatas — quod libenter quis credat —, verum omnes quae eodem genere continentur enumerandae sunt ac perlustrandae, ut quibus in rebus animus poetae cum studio aliquo et cum amore versatus sit, quibus minus sit oblectatus aut prorsus abhorruerit iusta tanquam ratione inita accurataque aestimatione facta statui possit ac discerni. Quae quum ita sint, non modo ea genera, quae ab aliis leviter iam tacta et adstricta esse demonstravimus, retractabimus ac denuo persequemur, sed in primis etiam eas eruemus expendemusque similitudines et translationes quae e rebus gymnicis, bellicis, forensibus iudicialibusque, difficilioribus his quidem saepe ad agnoscendum, petitae esse videntur. Quas cur nemodum quod sciam investigaverit et in conspectu posuerit vix assequor. Nonne eae ipsae luculentissime demonstrant, quantum poeta rebus illis tribuerit? Nec viliores sane habendae sunt illae quae ex artificum opificumque rebus in poetae orationem redundarunt similitudines metaphoraeque. Ad quas quum iam adverterit Eduardus Muellerus*), tamen quaestio instauranda est.

Jam vero priusquam comparationes translationesque percensere ac perstringere aggrediamur ipsas, etiam de finibus quibusdam quibus disputationem nostram contineri voluimus dicendum videtur. Atque comparationes nos allaturos esse omnes vix est quod moneamus, translationum autem certum tantum genus deligere ipsa earum natura cogimur. Etenim si totam linguam humanam accuratius examinaveris, tot eam metaphoris, quae non arte ab hominibus effictae sunt sed naturali quadam lege irrepserunt, imbutam et tanquam intertextam perspicies, ut, si tollerentur, ipsam linguam tolli necesse esset. Quarum quidem vis tam est evanida, ut a nullo iam sentiatur. Quamobrem non omnia ea vocabula proferemus quae a propria potestate desciverunt, verum ea tantum quae cum sensu aliquo et consulto posuisse poeta censendus est.

Sed alterum genus est idque gravissimum, quod quadam ex parte a commentatione nostra segregandum duximus. Continetur autem iis translationibus, quas Hensius in peculiari libro cuius titulum esse voluit „poetische Personification in griechischen Dichtungen mit Beruecksichtigung lateinischer Dichter und Shaksperes“**) congestas exhibet. Quae quidem ab iis quas pertractare nobis in animo est plerumque haud exiguo distant intervallo. Nam quum sane summa in illis poetae ars cernatur et tanquam excellat, rarius tamen inservire videntur nostro consilio quod in anquirendis percensendisque imaginibus versatur iis, quae demonstrant, quas ad res ingenium Sophoclis

*) l. l. pag. 34 adnot. 100.

**) Prodiit Hal. Sax. a. 1868.

naturali quodam studio delatus sit atque incubuerit. Quamobrem illo imaginum genere, nisi ad institutam a nobis rationem facient, abstinebimus.

Quoniam autem ut totam disputationem absolveremus otium nondum concessum fuit, in priore hac particula magis illud sequendum erit, ut omnes imagines metaphorasque afferamus ac perlustremus, ut quae comparative vel tralate dicta sunt ab iis quae propriam vim retinuerunt diligenter seiungamus ac discernamus, ut certa genera constituamus ac definiamus, quam ut quod inde de poeta repetendum iudicium sit iam nunc adumbrare atque exponere conemur. Hoc enim tum demum recte poterit expromi quum omnis illa copia in conspectu erit.

Enumerandarum autem iam ac percensandarum comparationum translationumque initium capiamus ab iis rebus quibus ut ubique ita etiam apud Graecos morum excultiorum ac totius humanitatis primordia continentur, agriculturam dico omnesque eas res qnae cnm illa aliquo modo coniunctae sunt. Quod quidem genus quum iam a Radtkio*) paucis tractatum et a Muellero**) leviter adstrictum sit, ne acta agere videamur, ita persequemur, ut ea de quibus illi recte iam et distincte disputaverunt breviter tantum et velut in transcursu attingamus, ea autem quae illi aut non protulerunt — sunt vero permulta — aut minus recte explicaverunt accuratius consideremus ac pertractemus.

Ac primum quidem, si ipsam agri naturam spectamus, paucae tantum translationes inde petitae apud Sophoclem occurrunt. Sola quae eo revocanda sunt vocabula *ἄρουρα* et *χέρσος* (OR. 1502) melius postea tractabimus. Statim igitur transeamus ad animalia illa quorum ope ager colitur, ad „*λασιαύχενά θ' ἵππον οὔρειόν τ' ἀκμῆτα ταῦρον*“ (Ant. v. 350 seqq.) Quorum prius ut ceteros Graecos ita in primis Sophoclem in deliciis habuisse quum ab Eduardo Muellero***) egregie explanatum sit, ad illius commentationem relegamus. Respexit autem ille iam inclutam et nobilitatam comparationem quae El. v. 25 seqq. sic expressa est:

ὥστερ γὰρ ἵππος εὐγενὴς κἂν ᾖ γέρων
ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν
ἀλλ' ὀρθὸν οὖς ἵστησιν —

et praesertim illam, quae optime declarat, penitus se poetam in animalis ingenui naturam insinuassé eamque tanquam humanam effinxisse. Legitur autem in frg. 593 (apud Nauck.), quod videas. A priore non multum diversae sunt similitudines quae exstant Ant. v. 140, ubi Mars *δεξιόσειρος* vocatur et ibid. v. 477 seq., ubi

σμικρῷ χαλινῷ δ' οἶδα τοὺς θυμουμένους
ἵππους καταρτυθέντας —

legitur. Accedit verbum *πωλοδαμνεῖν* Ai. v. 549 de Eurysace asperis patris moribus

*) diss. inaug. pag. 26 seqq.
**) l. l. pag. 23.
***) l. l. pag. 20 et 21.

educendo usurpatum et frg. 763: *σὺ δὲ σφαδᾴζεις πῶλος ὣς εὐφορβίᾳ*. Praeterea propter celeritatem equus in comparationem adducitur Ant. v. 985 in verbis *Βορεὰς ἅμιππος* et OR. v. 466 seq.: *ἀελλάδων ἵππων σθεναρώτερον*. Adicit his Muellerus locos alios quibus equus inducitur, velut OC v. 711 seqq. et 1062—1068, Ant. v. 340 et 350 etc., a quibus quum comparatio absit hoc loco abstinemus. Debemus autem huc referre ab illo omissum verbum *ἀναχαιτίζειν* quod frg. 181 legitur. Hoc quum Hesychius „*κυρίως*“ de equis usurpatum esse contendat et Suidas a Sophocle pro *ἀπειθεῖν καὶ ἀντιτείνειν* dictum esse testetur metaphorice positum fuisse liquet.

Neque vero assentiendum videtur Ellendtio, qui proprie illud „de equis in posteriores pedes erectis equitem excutientibus“ dictum esse contendit. Namque per se verbum nihil aliud significat nisi iubam arrigere, id quod et ipsa verbi origine et Eurip. Rhes. v. 785 seq. — *αἱ δ' ἔρρεγκον ἐξ ἀντηρίδων θυμὸν πνέουσαι κἀνεχαίτιζον φόβην* satis probatur. Jam vero quum illud omnino sit equi indomiti ac ferocientis, posse interdum *ἀναχαιτίζειν* etiam de equo excutiente equitem dictum esse nemo negabit.*)

A tauro eiusque natura non tam multas similitudines Sophocles desumpsit nec tanta diligentia effinxit. Comparatur autem bos semel propter robur eximium Ai. v. 1253 seq.:

μέγας δὲ πλευρὰ βοῦς ὑπὸ σμικρᾶς ὅμως
μάστιγος ὀρθὸς εἰς ὁδὸν πορεύεται,

deinde propter mugitum Ai. v. 322:

ὑπεστέναζε ταῦρος ὣς βρυχώμενος.

Ad ferum et solivagum taurum spectat comparatio quae legitur OR. v. 476 seqq.

φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν
ὕλαν ἀνά τ' ἄντρα καὶ
πέτρας ἅτε ταῦρος.

Deinde ridicule in contentionen vocatur „*βοῦς ἐργάτης*“ frgm. 139. Sed unum quidem restat exemplum ex quo maius aliquod poetae in hanc pecudem studium iucundissime pellucet. Est autem Trach. v. 529 seq.:

ἀπὸ ματρὸς ἄφαρ βέβακεν
ὥστε πόρτις ἐρήμα.

*) Phrynichi verba: *ἀνακόψαι ἐς τοὐπίσω, ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν τοὺς ἵππους τῇ χαίτῃ ἀνακρουόντων τοὺς ἀπὸ ῥυτῆρος τρέχοντας* (*προπ. σοφ.* p. 19,30) quae Ellendtius ad illustrandam notionem verbi *ἀναχαιτίζειν* arcessivit, idem falsa coniectura temptavisse videtur. Nam quae proponit: *ἀπὸ τῶν ἵππων τοὺς ἱππέας τῇ χαίτῃ κτλ.* prorsus intelligi non possunt. Referendam autem esse Phrynichi explicationem ad illius verbi potestatem quandam transitivam quae est cohibendi vel sistendi (cf. Passov. s. h. v. no. 3 et ibd. vocabulum *ἀναχαιτισμός*) satis apparet ex praemissis verbis *ἀνακόψαι ἐς τοὐπίσω* quibuscum consentit quod Hesychius interpretationis gratia apponit *ἀναχαλινοῦν*. Est igitur secundum Phrynichum *ἀναχαιτίζειν* os equi freno retrahere, ut iuba retro et in dorsum versus flectatur. Pro uno dativo *τῇ χαίτῃ* qui explicari non potest malit forsitan quispiam reponere *τὴν χαίτην*.

Sane etiam hoc insigne documentum est mitis poetae ingenii quod dudum viri docti animadverterunt. — Neque tandem asini prorsus poetam immemorem fuisse tradidit Pollux 7,24 (frg. 790 N.), ubi haec leguntur:

ἕως ὅτου κριθώσῃς ὄνον,

quamquam quo verba spectent cognosci iam non potest. *Ὄνου σκιὰ* quum proverbii loco dicatur huc non pertinet.

Similia iam attulimus, quae e certa quadam animalium natura et indole poeta petivit: restant ea, quae ex usu eorum in agro colendo et in vehendo equitandoque profecta sunt. Ac primum quidem armenta sub iugum ducenda, equi freno coercendi sunt. Inde haud paucae natae sunt metaphorae. E quibus creberrima translatio est verbi *ζευγνύναι* et eorum vocabulorum quae aut derivatione aut compositione ex eo orta sunt. In primis autem vivam et clare expressam eius modi imaginem animis nostris repraesentant quae leguntur Ant. v. 290 seqq.:

ἄνδρες μόλις φέροντες ἐρρόθουν ἐμοὶ
κρυφῇ κάρα σείοντες, οὐδ' ὑπὸ ζυγῷ
λόφον δικαίως εἶχον. —

Paullo magis evanidae sunt reliquae quae arctam quandam et plerumque molestam communionem significant. Potest autem illa communio esse cum rebus concretis quae dicuntur, potest cum abstractis: utriusque generis exempla apud Sophoclem occurrunt. Simpliciter domare, in primis vinculis, *ζευγνύναι* est Ant. v. 947: *(Δανάη) ἐν τυμβήρει θαλάμῳ κατεζεύχθη*, v. 955: *ζεύχθη . . . . παῖς ὁ Δρύαντος*, OR v. 718: — *νὶν ἄρθρα κεῖνος ἐνζεύξας ποδοῖν.* Cf. etiam verbum *ζευξίλεως* frgm. 129. Alterius quod indicavimus generis sunt quae exstant in Ai. v. 24: — *τῷδ' ὑπεζύγην πόνῳ*, 123: *ἄτῃ συγκατέζευκται κακῇ*, 735 seq.: — *νέας βουλὰς νέοισιν ἐγκαταζεύξας τρόποις*, Phil. v. 1025: — *κλοπῇ τε κἀνάγκῃ ζυγείς*, Ai .v. 944: *δουλείας ζυγά*, frgm. 529: *δουλείας ζυγὸν . . . ἔσχ' ἀνάγκας.*

Solennem autem usum verbum *ζευγνύναι* habet in re coniugiali, de qua dictum est OR. v. 825 seq.: — *ἢ γάμοις με δεῖ Μητρὸς ζυγῆναι*, Trach. v. 536 seq.: *κόρην γὰρ οἶμαι δ' οὐκέτ', ἀλλ' ἐζευγμένην*, fragm. 521, v. 11: — *ἐπειδὰν εὐφρόνη ζεύξῃ μία*, ad quae proxime accedunt vocabula *ἀδμής* (OC. v. 1056) et *ἄδμητος* (El. v. 1239, OC. v. 1321) de innuptis posita.*) Ipsi autem verbo *δαμάζειν* quod exstat in Ant. v. 826 quae imago subsit haesito. Namque quum ibi legatur:

(Νιόβην) κισσὸς ὡς ἀτενὴς
πετραία βλάστα δάμασεν

non acquiescendum videtur in eo quod interpretibus placuit: „saxum Niobam constrinxit, amplexum est.“ Neque enim *δαμάζειν* simplici constringendi illigandive potestate instructum sed de domandis bestiis translatum esse satis notum est. Cf. Od.

*) De imaginibus quas ad matrimonium illustrandum poetae Graeci adhibuerint quum fusius disputet Radtke in diss. inaug. pag. 32—34, ego rem paucis attigisse satis habeo.

IV., 635 seqq. Jl. XXIII., 655 aliosque locos consimiles. Num vero Niobam sicut feram quandam bestiam domitam animo nobis effingemus? Hoc quidem neque per se aptum neque cum elegantia figuratae elocutionis Sophocleae ullo modo convenire videtur. Quamobrem ego quasi ultro in eam feror opinionem, ut hic quoque a poeta alludi putem ad rem coniugalem. Secutum igitur esse poetam censeo verbi usum Homericum, qualis perspicitur ex Jl. III. 301, XVIII. 432 a. l. Mirifice enim hoc consentit cum tota Antigonae oratione, quae iterum iterumque ad matrimonium deflectit. Cf. vv. 813—816, 867, 876, 891. Quin etiam tum demum illud quod Antigona v. 832 seq. proloquitur:

— ᾇ με
δαίμων ὁμοιοτάταν κατευνάζει

recte intelligi posse videtur. Ut Niobam, inquit, saxea proles vi subegit et invisis urguet amplexibus, ita me nunc fatum in torum — dirum sane et horrendum — detrudit. Cf. v. 816: *Ἀχέροντι νυμφεύσω.* Sine dubio enim etiam in verbo *κατευνάζειν*, quum ab *εὐνή* ductum sit, eiusmodi aliquid subaudiendum est, ita tamen, ut interficiendi notio non tollatur. Sic mihi quidem sententia loci suavissima evadere videtur et vellem profecto similem afferre possem e lingua Graeca imaginem, cuius auctoritate interpretatio mea niteretur. Sed quis est qui singulae cuique imagini similem apponendam suscipiat? Neque tamen alienum puto ad Romanorum loquendi usum relegare, apud quos maritare, maritus, a, um, similia ab ea quam in verbo *ἐδάμασε* hoc loco deprehendisse nobis videmur potestate haud procul absunt. Cf. Hor. Epod. 2, 10, Od. II. 15, 4. Od. I. 36, 20. Quidni similibus rebus ad similes imagines poetas duci arbitremur? Quin etiam quod comparatur „*κισσὸς ἀτενής*“ sententiae nostrae favere videtur. — Reliquis locis quibus verbum *δαμάζω* apud Sophoclem occurrit, in interficiendi aut in expugnandi notionem abiit, quae a propria tam longe remota videtur, ut iure a nobis omittatur. Neque vero neglegendum vocabulum *ξυνωρίς* in OC. v. 895:

ἀποσπάσας μου τὴν μόνην ξυνωρίδα (sc. *τέκνων*)

et quod ex Hesychio refingere voluerunt „*(Χαρίτων) τριζύγων*“ (frg. 500), utrumque illud e communione quae iugo efficitur repetitum. Praeterea ab equis domandis desumpta sunt:

στόμια δέχηται τἀμὰ (El. v. 1462)

quod pertinet ad hominem qui imperio oboedire discit et

ὦ ψυχὴ σκληρά, χάλυβος
λιθοκόλλητον στόμιον παρέχουσ'
ἀνάπαυε βοὴν — (Trach. v. 1260 seq.),

in quibus pro *παρέχουσα* verbum accipiendi notione praeditum requiritur. Sed equidem non reperio.

Sequuntur metaphorae quae de accelerando equorum cursu boumque gressu sumptae sunt. E quibus missa faciamus verba *μεθιέναι, ἀνιέναι,* similia, quorum vis

metaphorica usu obliterata videtur. Aliter vero comparata sunt *ἐνσείειν* et *ἐπισείειν*, quorum prius quum in Ant. v. 1274:

ἔπαισεν, ἐν δ' ἔσεισεν ἀγρίαις ὁδοῖς

cum verbis *ἀγρ. ὁδ.* constructum legatur, ad quassas habenas referendum est, quibus Creon a deo ita instigatur, ut tanquam citato cursu ad saevas illas vias h. s. consilia feratur. Idem valere perspicuum est in verbum *ἐπισείω*, quod frgm. 151 loco a Nauckio exhibetur. Hoc quoque a Sophocle metaphorice dictum esse sequitur ex Hesychii glossa: *ἐπισειούσης, ἐπικελευομένης.* Simul vero quod adicit *ἀπὸ τῶν τὰς ἡνίας ἐπιχαλώντων* rem acu non tetigit, id quod ex iis quae modo disputavimus satis apparet. — Paullo uberiores sunt translationes a stimulo deductae, quales exstant Ai. v. 1245,

— σὺν δόλῳ κεντήσετε

et similiter Ant. v. 1030, Phil. v. 1039, Trach. v. 840. In OR. v. 1317:

(οἷον εἰσέδυ μ' ἅμα)
κέντρων τε τῶνδ οἴστρημα καὶ μνήμη κακῶν

cum stimulo composita est alia bestiarum crux saepius a Sophocle tralate posita. Legitur enim in Trach. v. 1253 seq.: — *πρὶν ἐμπεσεῖν (Σπαραγμὸν ἤ) τιν' οἶστρον* — et Ant. v. 1001 seq: *φθόγγον ὀρνίθων Κακῷ κλάζοντας οἴστρῳ.* Cf. etiam El. v. 5, ubi *Ἰνάχου κόρη οἰστροπλήξ* commemoratur (sec. Aesch. Prom. v. 681) et Trach. v. 653, quamquam ibi *Ἄρης οἰστρηθείς* non iniuria suspicionem commovit. Denique etiam dicendi formula *σπεύδειν ἀπὸ ῥυτῆρος* quum OC. v. 900 non minus ad „*λεὼν ἄνιππον*“ quam ad „*ἱππότην*“ pertineat translationem redolet. A qua dissidet vocabuli *ῥυτήρ* usus in fragm. 458 dubitationis pleno, de quo scite s. h. v. Ellendtius.

Domitis autem equis armentisque et sub iugum ductis ipsum agri cultum incipiamus videamusque quae inde profectae sint metaphorae. Atque liceat nobis hoc loco tacere de imaginum genere frequentissimo quod verbis *ἀρόω* (OR. v. 1485 et 1497), *ἄρουρα* (OR. v. 1257) *ἀρώσιμος* (Ant. v 569), *γύης* (ibd.), *ἄλοξ* (OR. v. 1211), *χέρσος* (OR. v. 1502) continetur. Quae quo spectent tam saepe ab interpretibus Sophoclis accuratissime expositum est, ut non sit quod addere possimus. Accedit quod ille usus apud Graecos tam late manavit, ut ad propriam et singularem dictionis Sophocleae indolem cognoscendam nihil fere valeat. Qui vero Eduardus Muellerus cl. l. p. 23) nullas fere praeter has apud Sophoclem inveniri imagines ex agricultura petitas asseverare potuerit, ego exputare non possum. Esse enim haud paucas atque illis multo insigniores mox viderimus. An vero *ἄροτος* pro *ἔτος* positum (Trach. v. 69 et 825) non ad intimas agriculturae rationes revocamus? Deinde autem eo referendum est verbum *ἀναπολεῖν* in Phil v. 1238, qui sic legitur:

δὶς ταῦτα βούλει καὶ τρὶς ἀναπολεῖν μ' ἔπη;

(um quo componendum videtur, si genuinum est, notum illud quod exstat in Ant. v.

859: *τριπόλιστον οἶτον.* Quod vero eiusdem generis translationem Schneidewinus in Trach. v. 396:

(ᾄσσεις), πρὶν ἡμᾶς καὶ νεώσασθαι λόγους

agnoscendam existimat, nos quidem suffragari nullo modo possumus. Illis enim de verbis, in quibus multi haeserunt, aliter statuendum videtur. Primum enim ex scholiastae verbis: *ἀνακαινίσασθαι, καὶ αὖθις ὁμιλῆσαι ἀκριβῶς ἐκ νέας. „Ἢ οὕτω, πρὶν ἡμῖν καινοτέρους ἀνακοινώσασθαι λόγους* satis apparet, nihil eum metaphorae sensisse, id quod longe aliter se habet in loco Philoct. Deinde autem ipsa illa metaphora in hunc locum minime quadraret. Etenim si verum est, sicuti est, quod nobis persuasimus, non casu aut fortuito quodam ingenii lusu verum ipsis sententiae quam exprimere volunt rationibus poetas ad inferendas imagines adduci, idem quod in verbum *ἀναπολεῖν* etiam in illud *νεώσασθαι* valere consectaneum est.

Jam vero quum *ἀναπολεῖν* pro rei natura nihil aliud sit nisi cum labore et contentione aliquid revolvere*) atque adeo interdum molestiam adsignificet, velut quum in loco Philoct. quem supra attulimus tum apud Pindarum Nem. VII. v. 152 seqq., ubi legitur: *ταὐτὰ δὲ τρὶς τετράκι τ' ἀμπολεῖν ἀπορία τελέθει κτλ.*: eadem sententia ut par est in nostrum locum translata Deianiram habemus haec dicentem: Proripis te necdum sermonem quidem nos cum labore instauravimus et denuo quasi exaravimus. Vel si illi *λόγοι* qui novandi sunt iidem sunt intelligendi atque quos iam dixit Lichas, sententia haec evadit: Ne novavimus quidem verba tua et velut glebas convertimus, tu vero iamiam avolas. Quod utrumque mire ineptum esse ideoque omnem metaphorae suspicionem hinc procul habendam manifestum est. Sed licet illud *λόγους νεώσασθαι*, id quod prorsus necessarium est, vi metaphorica exutum et ita dictum accipiamus, ut meras recolendi retractandique vices impleat, tamen perversissima sententia est, siquidem Deianiram ipsa nuntii verba repetentem animo nobis fingere debemus. Quae quidem difficultates remanent, etiamsi illud quod secundum Eustathii (ad. Jl. *κ'*. p. 811, 20) verba: *τὸ νεᾶν, — ἐξ οὗ καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἀνανεώσασθαι λόγους* — scribere voluerunt *κἀννεώσασθαι* recipias. Molesta autem est praeterea in primis etiam vocula *καὶ* vi limitativa praedita. Quamquam ne ii quidem qui cum Cantero solum *ἀνανεώσασθαι* ordini verborum inseruerunt sententiam bonam aut genuinam praestiterunt. Nam una quoque quam nondum confutavimus reminiscendi notio, qualem verbum *ἀνανεοῦσθαι* habet Eurip. Hel. v. 722 ab hoc loco aliena est. His quidem omnibus de causis equidem in verbo *νεώσασθαι*, quod etiam per se suspectum et miro consensu ab omnibus fere criticis recentioribus reiectum est, antiquam corruptelam latere censeo. Reponendum autem puto *νοήσασθαι*, quod solum sententiae satis facere videtur. Enimvero plura ex Licha percontatura simulat Deianira se verba ab illo ante prolata non-

*) Cf. Plat. Phileb. pag. 60 A iam a Wundero comparatum et ibid. p. 34 B.; legg. IV. pag. 723 E.

dum satis perspexisse ideoque ut maneat indignabunda quasi exposcit. Ita quidem rectissime se habere additum καὶ et perapte a Licha responderi: ἀλλ' εἴτι χρῄζεις ἱστορεῖν, πάρειμ' ἐγώ perspicuum est. Quod vero formam medialem intulimus, aegre non feret quisquis Sophoclem et omnino φιλόμεσον fuisse et ipsum verbum νοεῖσθαι OR. v. 1487 usurpasse probe meminerit. Aoristi medialis exempla suppeditant Jl. X. 501, Theogn. v. 1298.*)

Jam vero agro „non semel arato, sed novato et iterato“ armentis nostris iugum demendum et quies danda videtur. In priore autem re quum fortasse verbum λύειν usum proprium habuerit, apud nostrum tamen nullae occurrunt translationes, in quibus illa vis vigeat. Neque ego assequor quid Ellendtium eo adduxerit, ut unum illud quod legitur OC. v. 1720 seq.:

ἀλλ' ἐπεὶ ὀλβίως γ' ἔλυσεν
τὸ τέλος, ὦ φίλαι, βίον

ad „solvenda iugo armenta“ revocaret. Immo in his verbis πρόληψις quaedam quam vocant inesse videtur, ut sententia haec sit: ἔλυσε τὸν βίον, ὥστε τέλος αὐτοῦ γενέσθαι. Illud autem ἔλυσε τὸν βίον quam proxime accedit ad locutiones Homericas μένος λύειν (Jl. XVII. v. 29), λύθη ψυχή τε μένος τε (Jl. V. v. 296 et al.) Cf. etiam Aesch. Pers. v. 913. De ipsis verbis λύειν τὸν βίον cf. quae adnotata sunt ad Eurip. JT. v. 677 in edit. Pflugk. et Klotz.**)

Vivida autem et dilucida translatio est verbi λωφᾶν in Ai. v. 61:

— ἐπειδὴ τοῦδ' ἐλώφησεν πόνου,

siquidem verum est quod scholiasta adnotat: ἐπαύσατο· ἀπὸ τῶν ὑποζυγίων· ὅθεν καὶ τὸ εὐλόφως φέρειν. Ac recentiores quidem interpretes eam explicationem secuti quum verbum illud requiescendi notione instructum esse contendant, in medio relinquunt, quomodo ea e propria verbi potestate elicienda sit. Passovius quidem, quem unum rem attingere memini, quum illud de iumento dictum esse velit, quod „si iugo solutum

*) Jam haec conscripta erant, quum appendice novissimae editionis Nauckianae etiam Blaydesium, criticum Anglum sagacissimum, scripturam traditam immutasse edoctus sum, unde magna coniecturae meae mihi nata fiducia est. Quod vero ille secundum schol., ut sibi videtur, legendum proponit: πρὶν ἡμῖν κἀνακοινοῦσθαι λόγους, ipso opinor scholio convincitur. Namque quum ibi ἀνακαινίσασθαι, ἐκ νέας, καινοτέρους (v.pag.11) legatur atque ita „καινότης“ illa tanquam prematur et inculcetur, iam scholiastam νεώσασθαι vel simile aliquid ante oculos habuisse apparet. Neque praesidio est ὁμιλῆσαι, quippe quod aperte corruptum sit. Quid enim est ὁμιλῆσαι ἀκριβῶς? Requiritur sane verbum transitivum percensendi notione praeditum, velut ἀναπολῆσαι. – Tamen doleo quod ipsa Blaydesii editio non praesto est: qua quidem parata si forte graviora argumenta prolata esse cognovero, in proxima commentationis parte haec retractanda erunt.

**) Nescio an eodem modo locum interpretatus sit Wexius in sylloge ab Ellendtio s. v. λύω laudata, quam inspicere mihi non licuit. Neque enim mihi multum abludere videntur quae leguntur Ant. v. 1302: λύει κελαινὰ βλέφαρα.

sit, collum liberum recipiat itaque sese reficiat“, rem ipsam declarat, propriam verbi vim nullo modo illustrat. An vero solvendi notione verbum ab initio praeditum fuit? An colli recipiendi? Ex Passovii verbis vix certi quidquam eruere possis. Neque magis liquet quomodo ex istis ipsa requiescendi potestas deducta sit. Aliud enim est iugo liberari, aliud requiescere; illud antecedit, hoc consequitur. Itaque quum in Passovii sententia acquiescendum non videatur, aliam nobis proferre liceat explicationem, quae planius fortasse et enucleatius imaginis naturam describet atque definiet. Verbum λωφᾶν quum sit prorsus eodem modo comparatum ac verba νωμᾶν, στρωφᾶν, alia eiusdem generis, vim habere frequentativam necesse est. Jam vero quoniam colli notionem veteres in ea voce senserunt, nihil aliud potest significare nisi collum huc illuc versare, collum quatere. Hoc autem iumenti est, quod modo iugo solutum laetitia exsultat. Est igitur πόνου λωφᾶν ex labore i. e. superato labore cervices antea tanquam iugo pressas et rigidas factas versando relaxare atque reficere. Idem clarius est expressum apud Thucydidem lib. VI., cap. 12: ἀπὸ νόσου μεγάλης καὶ πολέμου βραχύτι λελωφήκαμεν, ubi adiecta praepositione efficitur, ut imago luculentior evadat. Apud Sophoclem quidem verbum propius iam ad meram desinendi requiescendique notionem detortum structuram verborum istorum sequitur. Neque tamen in verbo rarioris usus vis principalis evanuisse putanda est. Nostram autem interpretationem ut exemplo comprobemus, verbi ἀναχαιτίζειν, de quo ante dictum est, memoriam revocemus et evolvamus Plut. vit. Ant. cap. XXI., ubi legitur: ὡς πρῶτον ἀνεχαίτισε τῶν πραγμάτων. Ecce eadem fere imago, eadem verborum sententia et compositio. Cf. praeterea verbum τραχηλιᾶν notione non multum diversa instructum. — Ita autem verbi natura perspecta etiam illud consecuti esse nobis videmur, ut πόνου, non φόνου, quod est in La, legendum esse luce clarius factum sit. Unum enim vocabulum πόνου ex indole orationis Sophocleae dictum est. Nimirum refecit sese Aiax ἐκ πόνου, ᾧ ὑπεζύγη (Ai v. 24). Cf. Ai. 123 et Phil. 1023. Suum igitur et peculiarem in laboribus et suscipiendis et dimittendis verba illa usum habent.

Agriculturam autem porro prosequentes iam ad semina spargenda plantasque ponendas venimus. Atque ea res paucis absolvenda est. Namque in ea quae huc pertinent verba σπείρω et φυτεύω omniaque illa quae cum iis cohaerent idem cadit quod pag. 10 de vocabulis ἄρουρα, ἀρόω etc. dictum est. Quorum quidem usum qui latissime patet et apud Sophoclem in primis frequens est, plane et copiose illustrat Ellendtius in lexico Sophocleo quod evolvas. Sequitur vocabulum ῥίζα tralate positum Ai. v. 1178: γένους ἅπαντος ῥίζαν ἐξημημένος et in imagine plena et consummata quae exstat Ant. v. 598 seqq.: νῦν γὰρ ἐσχάτας ὑπὲρ ῥίζας κτλ., de quo loco maxime conclamato fusius disputare constitutis commentationis nostrae finibus prohibemur. Adiciendum vero ῥιζόω (OC. v. 1591) et πρόρριζος El. v. 512, 765. De emergentibus deinde plantis sumptum videtur verbum ἀνατέλλειν quod legitur Phil. v. 1138, si intransitive dictum intelligimus. Enatae autem plantae et in lucem progenitae πρόσω ἕρπουσι (cf. Trach v. 547: ἥβην —

πρόσω ἕρπουσι et ibd. Schneidew.), nisi forte marcescunt et arefiunt, a qua quidem posteriore re ducenda sunt: αὐανῶ βίον (El. v. 819) et αὐανοῦμαι (Phil. v. 954). Eodem verbum μαραίνω quod a principio non exstinguendi sed marcefaciendi notionem habuisse videtur*) referremus, si sola origo spectanda esset. Sed illa notio aliquatenus quidem quadrat in Ai. v. 714: πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει (expunctis verbis τε καὶ φλέγει), minime autem in OR. v. 1328: ὄψεις μαρᾶναι aut in OC. v. 1260: (πίνος) πλευρὰν μαραίνων, ubi pro μαραίνων, quod omnino ferri non potest, restituendum videtur μιαίνων.

Rursus plantas, quae temporis iniuria non oppressae provenerunt ac pullulant, saepissime imaginibus quae ad liberorum ortum pertinent effingendis adhibitas, nonnunquam etiam de aliis rebus tralate positas esse et satis notum est et edocetur ab Ellendtio s. vv. βλάστη et βλαστάνω, quibus adicias illud quod OC. v. 1108 legitur ἔρνος. Item nominasse satis habemus vocabula χλωρός, θάλλω, ἄνθος, ἀνθηρός, ἀνθέω, ἀνθίζω, λευκανθής (λευκανθὲς κάρα OR. v. 742) et apposuisse comparationem admirabilis suavitatis quae exstat Ai. v. 558 seq.:

τέως δὲ κούφοις πνεύμασιν βόσκου, νέαν
ψυχὴν ἀτάλλων,

ubi vid. schol. et Muell. l. l. pag. 25. Memorandum praeterea verbum λυγίζω (Trach. v. 779) et notanda vocabula καρπός (frgm. 750), καρποῦσθαι (Trach. v. 204), ἀκάρπωτος (Ai. v. 176). Sequitur adiectivum πέπων (OC. v. 437 et ibd. v. 516, ubi a Bothio restitutum est) et femininum πέπειρα (Trach. v. 728), in quibus advertendum est discrimen quod intercedit cum nostro eiusdem vocabuli usu metaphorico. Hinc transeundum ad verba metendi ἀμάω eiusque composita (Ant. v. 602, Ai. v. 1178, ubi pleniores imagines sunt; simplices metaphoras invenies Phil. v. 749 et frgm. 562) et θερίζω Ai. v. 239 atque praesertim in frgm. 593 v. 4, ubi addito verbo θέρος, quod de iuba equae dictum est, in primis clara et egregia imago oculis nostris repraesentatur. Praeterea huc pertinet verbum λωτίζεσθαι in frgm. 652 a Keilio repositum. Denique maiorem et latius patentem de agro colendo hic adicimus similitudinem quae exstat Trach. v. 31 seqq.

Ac posteriores quidem hae imagines quamquam gravissimae sunt, tamen pro instituta a nobis ratione simpliciter sunt indicatae: de uno verbo ὀγμεύειν quod legitur Phil. v. 163:

(φορβῆς χρείᾳ)
στίβον ὀγμεύει τόνδε πέλας που

utrum huc referendum sit necne paullo uberius disputandum videtur. Etenim interpretes huius verbi, quo gressus Philoctetis ulcere impeditus describitur, in duas discedere videmus sententias, quarum neutra nobis probatur. Atque alii quidem, in quibus G.

*) Cf. Curtius, Etymol. pag. 333 (ed. IV.)

Hermannus et Ellendtius sunt, quum a metentibus simile sumptum esse velint, ut Philoctetes „viam deinceps prosequi“ sive „rectissima quaque via incedere“ dicatur, nec poetae consilium nec ipsam Philoctetae condicionem satis videntur respexisse. Praeterquam enim quod nihil triste aut miserabile exprimitur verbis: nutrimentorum causa hic viciniae recta ingreditur, ne potest quidem Philoctetes ita facere, quippe quum θηροβολῶν (v. 165) victum quaerat. Contra alii „tardum ductum sulci imaginem esse tardi ductus vestigii“*) contendunt. Ecquae autem similitudo est inter aratri vestigium nunquam intermissum et gressum Philoctetae, qui pedem quamvis ex ulcere claudum nunc attollere, nunc ponere debet? Ne mihi hic quisquam cum M. Seyfferto Luc. Phars. lib. IV., v. 587 obtrudat, ubi flumen „siccae sulcator arenae“ vocatur; de illo enim, quod revera terram findit et continuo cursu defluit, recte hoc dici potest, de Philoctetae gressu non potest. Neque audiendus est Passovius qui de homine aratrum regente cogitat; pariter enim hic et libere utroque pede utitur. Ut breviter dicam quod sentio, inter duas explicationes optio dari mihi videtur. Potest similitudo deprompta esse ab iis qui reapse ὀγμεύουσι s. sulcos ducunt i. e. a bobus aratoribus, quorum gressui tardo et difficili apte incessus Philoctetens contendi potuit. Quod quidem aliquo modo confirmari videtur v. 289 seqq.:

— πρὸς δὲ τοῦθ' ὅ μοι βάλοι
νευροσπαδὴς ἄτρακτος, αὐτὸς ἂν τάλας
εἰλυόμην δύστηνον ἐξέλκων πόδα

et v. 701 seq.:

εἷρπε γὰρ ἄλλοτ' ἄλλᾳ
τότ' ἂν εἰλυόμενος —

Perbene profecto haec congruunt cum gressu qualem habent „εἰλίποδες.“ At vero potest etiam vocabulum referendum esse ad messores, non ideo quod recta procedunt, sed quod gressu utuntur prorsus singulari maximeque impedito nec dissimiles sunt claudicantibus. Sed utut hoc est — utraque enim explicatio habet sane quo commendetur —, tantum constat, insignem et clare expressam etiam hanc esse imaginem e re rustica repetitam. Ut vero ceterarum quas supra attulimus E. Muellerus immemor fuisse videtur, ita ne huius quidem verbo nos admonuit.

Aliquanto autem rectius vir doctissimus statuit de studio quo poeta erga arbores et cuiusvis generis plantas imbutus fuerit. Quas quum nascentes, crescentes, germinantes, florentes, maturatas contemplati simus, sequitur, ut reliquas imagines quadam ex parte aliter comparatas enumeremus. Ex quibus quum ille iam eas attulerit, quae de arboribus torrentis impetu afflictatis (Ant. v. 712 seqq.), de caesa quercu (El. v. 98), de ficu (frgm. 183), de populo (frgm. 24 et 532), de hedera (Ant. v. 826), de vite

*) Cf. quae ad hunc locum annotata sunt in ed. Wund. IV., quam curavit Weckleinius.

(Trach. v. 703 seq.) desumptae sunt, unam nos adiungimus eam quae in frgm. 783 legitur:

γραίας ἀκάνθης πάππος ὣς φυσώμενος.

Apte autem ille quamquam a comparationibus digressus inclutissimum quoque illud quod OC. vv. 668—719 continetur canticum, quo narcissus, crocus, olea celebrantur arcessivit eiusdemque tragoediae v. 17 et frgm. 235 laudavit, quibus frgm. 322 et 646, ubi cinara, 362, ubi morum, 547, ubi milium memoratur aliaque id genus addere potuit. Neque inutile est alias res quae ad agriculturam pertinent et a Sophocle nominatae sunt respicere, velut *σιροὺς κριθῶν* (frgm. 255), *ἀθηρόβρωτον ὄργανον* (frgm. 418), *ἄμαλλαν* (frgm. 546), *πτύον* (frgm. 976). Quae omnia rerum rusticarum scientiam et studium testantur. Atque ultro suspicandum videtur, poetam qui Triptolemum composuerit agriculturae pernoscendae non incuriosum fuisse.

Sed cohibendum, ut iam antea diximus, de hac re iudicium est, quoad reliqua comparationum translationumque genera pertractaverimus. Quorum quidem quum plura priore hac commentationis particula nos comprehendere posse speraverimus, tempus supervenit, quo in lucem haec edenda sunt. Quamobrem hoc unum iam monere liceat, esse nonnulla de quibus cuinam generi adnumeranda sint dubitatio esse possit. Quodsi quis ea desiderabit, is exspectet dum altera dissertatiunculae pars prodierit neve indicta causa neglegentiae nos condemnet. Ante omnia autem venia expetenda videtnr, si forte errores inde nati sunt quod nonnullas quas de singulis locis viri docti scripserunt commentationes aliosque libros quosdam comparare nondum nobis potuimus, verum sententias ibi prolatas coniectura nonnunquam colligere coacti fuimus ex iis quae apud alios adnotata invenimus. Hoc autem in primis referri volumus ad verbum *ἀναχαιτίζειν* (p. 7), de quo quum ipsum Phrynichum adire non licuerit, iam incerti sumus, num ea quae Ellendtius s. h. v. exhibuit recte intellexerimus. Neque enim ex verbis ab eo allatis satis perspicitur, num ipsum illud *ἀναχαιτίζειν* Phrynichus illustraverit. Quare ut aliarum rerum, ita etiam huius, si opus esse videbitur, altera commentationis parte ratio reddetur. Tantum adicere visum est, ut iam nunc a levitatis crimine nos defenderemus quod in huiuscemodi rebus unum omnium maxime semper fugiendum duximus.



(Trach. v. 703 seq.) desumptae sunt, unam nos adiungimus eam quae in frgm. 783 legitur:

γραίας ἀκάνθης πάππος ὣς φυσώμενος.

Apte autem ille quamquam a comparationibus digressus inclutissimum quoque illud quod OC. vv. 668—719 continetur canticum, quo narcissus, crocus, olea celebrantur arcessivit eiusdemque tragoediae v. 17 et frgm. 235 laudavit, quibus frgm. 322 et 646, ubi cinara, 362, ubi morum, 547, ubi milium memoratur aliaque id genus addere potuit. Neque inutile est alias res quae ad agriculturam pertinent et a Sophocle nominatae sunt respicere, velut *σιροὺς κριθῶν* (frgm. 255), *ἀθηρόβρωτον ὄργανον* (frgm. 418), *ἄμαλλαν* (frgm. 546), *πτύον* (frgm. 976). Quae omnia rerum rusticarum scientiam et studium testantur. Atque ultro suspicandum videtur, poetam qui Triptolemum composuerit agriculturae pernoscendae non incuriosum fuisse.

Sed cohibendum, ut iam antea diximus, de hac re iudicium est, quoad reliqua comparationum translationumque genera pertractaverimus. Quorum quidem quum plura priore hac commentationis particula nos comprehendere posse speraverimus, tempus supervenit, quo in lucem haec edenda sunt. Quamobrem hoc unum iam monere liceat, esse nonnulla de quibus cuinam generi adnumeranda sint dubitatio esse possit. Quodsi quis ea desiderabit, is exspectet dum altera dissertatiunculae pars prodierit neve indicta causa neglegentiae nos condemnet. Ante omnia autem venia expetenda videtur, si forte errores inde nati sunt quod nonnullas quas de singulis locis viri docti scripserunt commentationes aliosque libros quosdam comparare nondum nobis potuimus, verum sententias ibi prolatas coniectura nonnunquam colligere coacti fuimus ex iis quae apud alios adnotata invenimus. Hoc autem in primis referri volumus ad verbum *ἀναχαιτίζειν* (p. 7), de quo quum ipsum Phrynichum adire non licuerit, iam incerti sumus, num ea quae Ellendtius s. h. v. exhibuit recte intellexerimus. Neque enim ex verbis ab eo allatis satis perspicitur, num ipsum illud *ἀναχαιτίζειν* Phrynichus illustraverit. Quare ut aliarum rerum, ita etiam huius, si opus esse videbitur, altera commentationis parte ratio reddetur. Tantum adicere visum est, ut iam nunc a levitatis crimine nos defenderemus quod in huiuscemodi rebus unum omnium maxime semper fugiendum duximus.



VII. Bericht

über das

Progymnasium zu Neumark W./Pr.

und die mit demselben verbundene Vorschule

für die Zeit von Michaelis 1878 bis Ostern 1880,

mit welchem zu der

am 23. März, vormittags von 9 Uhr und nachmittags von 2½ Uhr

stattfindenden

öffentlichen Prüfung

im Namen des Lehrer-Collegiums

ganz ergebenst einladet

A. Scotland,
Progymnasial-Rektor.

Inhalt:



Neumark, 1880.
Buchdruckerei von J. Köpke.

1880. Progr. No. 32.

De comparationum et translationum usu Sophocleo.

Pars II.

Quum prima commentationis nostrae particula*) omnes eas comparationes translationesque quae ex agriculturae rebus a Sophocle petitae sunt comprehenderemus ac perlustraremus, ut quo naturae sensu quoque vitae rusticae poetis multum et saepe celebratae studio imbutus fuisset uberiore quam antea factum erat comparata materia posset diiudicari: temporis angustiis accidit, ut imaginum genus quod arcto quodam vinculo cum illis coniunctum est omittere cogeremur. Nam ad agricolarum vitam, si opera, si secessum, si totum denique vivendi usum spectamus, proxime accedere videtur vita pastoralis, de qua quid senserit Sophocles iam explanandum videtur. An vero parvi interesse putamus ut cognoscatur quo loco poeta eam vitae rationem habuerit qua adeo semper poetarum animos oblectatos esse scimus, ut totum quoddam poesis genus inde originem acceperit? Immo multum hoc valere apparet ad ingenium poetae pernoscendum. Quin etiam mirum videtur quod quum tanta commentatiuncularum copia Sophoclis tragoediae tanquam obrutae ac tot de iis quaestiunculae partim satis minutae — quas quidem ego minime despicio — in medium prolatae sint, ut aliae huiuscemodi res haud sane indignae quae cognoscantur, ita etiam haec non ea qua par erat diligentia hucusque tractata est. Neque enim profecto qui unus quod sciam rem attigit Eduardus Muellerus**) eam confecisse putandus est quum sola *Ποιμένων* fragmenta respiceret, alios locos qui huc pertinent et comparationes translationesque e rebus pastoriciis petitas prorsus neglegeret. Accedit quod ne illis quidem fragmentis vir doctissimus ita usus est, ut quid inde colligi posset exponeret, verum de iudicio satis certo omnino desperavit. Nobis autem primum iam eo quod Sophocles tale argumentum tractandum sibi suscepit, si nihil aliud, at certe illud videtur indicari, poetam vitae pastoralis notitiam accuratam aut iam antea habuisse aut ad drama illud componendum sibi paravisse. Qualescunque enim singulae dramatis partes fuere, ex fragmentis:

---

*) Neumark 1878.

**) Ueber Sophocleische Naturanschauung pag. 23.

Ἑωθινὸς γὰρ πρίν τιν' αὐλιτῶν ὁρᾶν
θαλλὸν χιμαίρᾳ προσφέρων νεοσπάδα κτλ. (Dind. frgm. 445.) *)
et *τούτοις***) *γὰρ ὄντες δεσπόται δουλεύομεν*
καὶ τῶνδ' ἀνάγκη καὶ σιωπώντων κλύειν (447)

tantum apparet, pastores qui re vera ita sunt appellandi suas in illa fabula partes egisse et rerum pastoralium rationem esse habitam. Cf. etiam frgm. 962 quod Welckerus huc revocavit:

Ψακαλοῦχοι
μητέρες αἶγές τ' ἐπιμαστίδιον
γόνον ὀρταλίχων ἀναφαίνοιεν.

Neque vero notitiam modo harum rerum poetae esse vindicandum ex poematis eius colligi potest, verum etiam quae eius de iis fuerit sententia cognoscitur. Est autem haec diversissima a sententia eorum qui vitam pastorum ut beatissimam praedicarunt et summis oblectamentis exornarunt. Immo eum hoc vitae genus durum et laborum molestiarumque plenum, ut re-vera est, existimare et ex frgm. 447 supra allato et ex OR. v. 1029: *Ποιμὴν γὰρ ἦσθα κἀπὶ θητείᾳ πλάνης* satis apparet. Neque videlicet pastores tanquam optimos et integerrimos homines, ut quibusdam poetis libuit, nobis describit quum OR v. 1117 seq. chorum dicentem facit:

Λαΐου γὰρ ἦν,
εἴπερ τις ἄλλος, πιστὸς ὡς νομεὺς ἀνήρ,

ubi recte Schneidewinus particulam *ὡς* limitative dictam esse adnotat.

Sed aliud est vitae cuidam generi falsa et coumenticia oblectamenta affingere, aliud attento sensu et animo eas percipere delectationes quae revera insunt. Hoc enim sani et sincero naturae studio imbuti hominis est, illud a naturae simplicitate remotissimi. Quare etiam Sophoclem leni fistulae pastoriciae sono aurem praebuisse docent quae leguntur Phil. v. 212 seq. *οὐ μολπὰν συριγγος ἔχων | ὡς ποιμὴν ἀγροβότας* atque eum alias quoque harum rerum non immemorem fuisse ceterarum comparationum translationumque copia testatur, ad quam ut ad peculiare commentationis nostrae argumentum nunc redeundum est. Ac nolo equidem nimium tribuere verborum *ποιμήν* (*σέ τοι μόνον δέδορκα ποιμένων ἐπαρκέσοντ'* Ai. 360) et *ποιμαντήρ* (*νεῶν ποιμαντῆρες* frgm. 379 v. 10 coni. Heath.) usui translato, qui ad Homerum referendus atque adeo in priore vocabulo satis incertus est; paullo magis iam vividas et luculentas imagines quamquam non omnes unius Sophoclis proprias oculis nostris repraesentant translationes illae quae verbo *β'σκειν* eiusque compositis et derivatis continentur quaeque partim suavissimae sunt, velut illa quae exstat Ant. v. 1246: *ἐλπίσιν δὲ βόσκομαι* et frgm. 687: *ἐλπὶς γάρ ἡ βόσκουσα τοὺς πολλοὺς βροτῶν.* Cf. praeterea Ai. 558, Tr. 144, OR. 1425(?), Phil. 313 et 1167, frgm. 144 et 528; *γηροβοσκός* Ai. 570. Secundum hunc verbi *βόσκειν* usum explicandum videtur etiam vocabulum *βόσκημα* in El. v. 364:

(ἐμοὶ γάρ ἔστω τοὐμὲ μὴ λυπεῖν μόνον)
βόσκημα

quod non de mero pabulo verum de ea re quae Electram sustentat (cf. versionem Brunckii)

*) Welckerus in libro: „Die Griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet" pag. 114 nuntium haec proferre supicatur. Satis autem manifestum est pastorem hic loqui tum fortasse nuntii munere fungentem.

**) ‚οἱ Σοφοκλέους βοτῆρες ἐπὶ τῶν ποιμνίων' Plut. v. Agid. cap. 1.

et erigit et consolatur dictum esse videtur. Haec autem est aegritudo qua afficit Aegisthum et Clytaemnestram. Ceterum locus vexatissimus bene se habere videtur, modo illud *μόνον* a vocabulo *βόσκημα* separes et cum *ἐμὲ* coniungas, id quod factum esse video a Musgravio qui interpretatur: mihi instar pabuli sit, non me dumtaxat, sed alios (melius: etiam illos sc. Aegisthum et Clytaemnestram) angere. Magis quidem perspicua res foret, si scriptum esset *μόνην*. Cf. quae de hoc loco disputavit G. Hermannus. — Sequitur verbum *νέμειν* insigniori imagini non adhibitum. Cf. Ph. v. 709 *τῶν νεμόμεσθ' ἀνέρες ἀλφησταί.* El. v. 176 huc non pertinere arbitror (v. tamen Ell. lex. ad. h. v.) Memorandum praeterea vocabulum *ξύννομος* quod OC. v. 340 de uxoribus, El. v. 600 de marito dicitur. Neque in Phil. v. 1436 *ὡς λέοντε συννόμω* prorsus abest translatio, ut Ellendtio videtur. Reiciendum vero est in eiusdem tragoediae v. 1130 seqq.: *ἦ που ἐλεινὸν ὁρᾷς, φρένας εἴ τινας | ἔχεις, τὸν Ἡράκλειον | ἄθλιον ὧδέ σοι* (distinguas: *ὧδε, σοὶ* cf. Blaydes. ad h. l.) *οὐκέτι χρησόμενον το μεθύστερον κτλ.*, ubi pro *ἄθλιον* a Dindorfio illatum est. Non minus enim perperam vir doctissimus egisse videtur quam omnes qui servantes adverbium *ὧδε* vocabulum *ἄθλιον* exstirpare conati sunt. Est enim prorsus necessarium, ut sit quo illud *ὧδε* referatur. V. de tota hac re editionem Blaydesii, in cuius quod est *ἑταῖρον* pro *ἐλεινόν* ego quoque incideram.

Accuratius vero iam in verbum *προνέμεσθαι*, quatenus huc pertineat, inquirendum videtur. Quod quum in El. v. 1384 seq.:

ἴδεθ' ὅπου (scr. *ὅπως* s. *ὅπη*) *προνέμεται*
τὸ δυσέριστον αἷμα φυσῶν Ἄρης

diu falso explicatum esset (velut a Jacobsio qui diram illam de qua dicitur calamitatem ad exitum appropinquantem comparari vult cum ‚pecoribus inter pascendum progredientibus' — at vero lente illa et placide procedunt), tandem G. Wolffius et Blaydesius verbum illud etiam de igne usurpari adnotaverunt. Vellem autem ego quod recte viri doctissimi animadverterunt ad hunc ipsum locum convertissent! Aptissime enim dira quae instat calamitas contenditur cum incendio quod sese diffundit ac promovet. Cf. Ai. v. 196 seq.: *ἄταν οὐρανίαν φλέγων. ἐχθρῶν δ' ὕβρις ὧδ' ἀτάρβητα ὁρμᾶται ἐν εὐανέμοις βάσσαις.* Quae quidem explicatio eo magis placet quod etiam OR. v. 190 seq. *Ἄρης* ignis attributis quae vocantur instructus est (*Ἀρεά τε τὸν μαλερόν, ὃς νῦν . . . . φλέγει με*). Agnoscenda igitur hoc loco metaphora est, ut ita dicam, secundaria, quae a pascendo orta primoque ad ignem*) conversa inde ad caedam quae paratur hic traducta est. Eiusmodi autem translationes certum quoddam genus efficiunt, quod accuratius aliquando pervestigare forsitan operae pretium sit.**)

*) Saepius ignem cum belua comparari cognoscas ex Il. XXIII, v. 177 seqq., Aesch. Prom. v. 368: *ποταμοὶ πυρὸς δάπτοντες ἀγρίαις γνάθοις*, Choe. v. 325 *πυρὸς μαλερὰ γνάθος* aliisque locis.

**) Verba tradita sic distinguenda videntur: *ἴδεθ' ὅπη προνέμεται*
τὸ δυσέριστον, αἷμα φυσῶν Ἄρης.

Quamquam enim paullo insolentius hoc appositionis genus videtur, tamen haec ratio multo probabilior est quam coniecturae in hunc locum prolatae. Nam ut praetermittam nulla mutatione emendationem meam factam esse, simul ea verbum *αἷμα* exsolvitur attributo quod ferri non potest, licet pro *δυσέριστον δυσάλυκτον* (Blaydes. in append. ad. h. l.) aliudve quid in ordinem verborum recipiamus. Suffragatur autem quum maxime scholiasta qui haec habet: *Οἷον ὁ Ἄρης συναγελάζεται αὐτοῖς, φυσῶν αἷμα καὶ φόνον. Δυσέριστον δὲ, τὸ δι' ἔριν γινόμενον κακόν.* Ex quibus etiam hunc *δυσέριστον* illud a vocabulo *αἷμα* seiunxisse et pro substantivo habuisse apparet. Quod vero pergit: *τὸ δὲ κακόν* (Brunck. *κακῶν*), *οὐχ ὡς κατηγοροῦσά φησι κτλ.*, non ad aliud verbum, sed ad ipsum illud substantivum *δυσέριστον* mali notione instructum haec retulisse videtur. Quamquam ultima scholiastae verba satis obscura sunt.

Verbo iam admonuisse satis habemus vocabulorum ab *αὐλή*, sede pecudum, ductorum (sunt autem *ξύναυλος*, *καταυλίζομαι*, *ἐναυλίζω*, *πάραυλος*, similia) et ex bestiis quae huc pertinent memorasse *χοῖρον* in frgm. 217 comparationi adhibitam; equum autem et bovem in prima commentationis particula contemplati sumus. De cane, fido pastoris comite (*κύνας βοτῆρας* Ai. v. 297), nulla sumpta esse imago videtur, quae ad res pastoricias referri possit.

Sed omnia haec fortasse levia sunt ducenda prae metaphora illa prorsus singulari multisque explicandi conatibus inde ab antiquissimis temporibus tentata quam explanare iam adgredior. Exstat autem locus de quo dicturus sum in Ai. v. 612 seqq., ubi haec leguntur:

ὃν ἐξεπέμψω πρὶν δή ποτε θουρίῳ
κρατοῦντ᾽ ἐν Ἄρει· νῦν δ᾽ αὖ φ ρ ε ν ὸ ς ο ἰ ο β ώ τ α ς
φίλοις μέγα πένθος ηὕρηται.

Quo in loco si verborum *φρενὸς οἰοβώτας* sententiam, quae ex meris rerum pastoralium rationibus petenda videtur, viris doctis probavero, una illa imagine explicata poetam eas res diligentissime observasse evicero. Significari autem illis verbis nihil aliud nisi quod paullo ante dictum est *θείᾳ μανίᾳ ξύναυλος* vel quod sequitur (v. 626) *νοσῶν φρενομόρως* ex totius loci ratione et indole satis perspicitur. Cf. schol.: *οὐ σὺν φρεσὶν, ἀλλ᾽ ἐκτὸς φρενῶν διάγων.* Minus enim recte Lobeckius, G. Hermannus, alii, de pervicacia Aiacis cogitare videntur, quae verbis *ὃν ἐξεπέμψω πρίν δή ποτε θουρίῳ κρατοῦντ᾽ ἐν Ἄρει* non bene opponitur; nimirum exprimi necesse est Aiacem insania qua correptus est quaeque eum incitavit, ut a sociis discederet, eo esse adductum, ut impetuosam illam qua antea praestiterat fortitudinem deponeret. Jam vero quaeritur quomodo illam insaniae notionem ex verbis istis ducamus. In quo, si primum structuram verborum spectamus, non faciendum videtur cum G. Wolffio qui *φρενὸς οἰοβώτας* idem esse vult ac si diceretur: *φρένα οἴην βόσκων*. At *φρένα οἴην* vel *οἴην φρένα βόσκειν* per se nihil aliud significare potest nisi aut solam mentem i. e. nihil nisi mentem aut mentem singulam ceterarumque societate carentem pascere, in quibus cur insaniae notio insit minime apparet. Accedit quod nimiae audaciae esse videtur vocabulum *οἰοβώτας* in duas partes divellere et priorem ad *φρενὸς* referre; neque illud uno verbo *οἰοβουκόλος* (Aesch. Suppl. v. 304), quod etiam aliter comparatum est, satis vir doctissimus defendit. Videretur sane, nisi si alia explicatio in promptu esset, eo standum esse, ut Aiax *φρένα οἶος βόσκειν* dicatur. Quid autem in his foret *φρένα βόσκειν?* Vix quidquam, opinor, aliud nisi animum sustentare vel adeo erigere et delectare*), quod ab hoc loco alienum est.

In hac difficultate solus lucem afferre videtur scholiastarum ille qui *ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν πλανηθέντων προβάτων καὶ μόνων βοσκομένων* vocabulum *οἰοβώτας* dictum esse adnotat. Cuius quidem interpretationis vim propriam ac prorsus singularem interpretes recentiores (fortasse propter rei ignorationem quam opprobrio iis minime ego verterim) non recte perspexisse videntur. At ei qui res rusticas aliquatenus noverit statim in mentem venire debet, denotari hoc loco morbum ovium creberrimum qui verme quodam (taeniam, quae etiam Graecis nota erat, plerique esse existimant) in cerebro insidente efficitur. Ubi is irrepsit, oves sese a ceteris segregant solaeque vagantur, simul in gyrum circumferuntur et tanquam insaniae signa

*) V. quae de verbi *βόσκειν* usu metaphorico supra disputavimus.

edunt, postremo miserrima tabe absumuntur.*) Quin etiam hodie oves eo morbo correptae ab agricolis ut mente captae designantur.

Jam igitur Aiax quum *οἰοβώτας* s. solus se pascens idque *φρενὸς* s. ab animo dicatur, similitudine ab ovibus ex cerebro laborantibus adscita ipso illo verbo insaniens compellatur, id quod in hunc locum unice quadrare manifestum est. Qua quidem interpretatione recepta videsne quam commode iam genetivus *φρενὸς* cum vocabulo *οἰοβώτας* sese coniungat? Servat enim propriam suam potestatem ex qua rem significat unde aliquid proficiscitur vel generatur nec dissimile genus loquendi est eius quod Ai. v. 183 seq. invenitur in verbis: *οὔποτε γὰρ φρενόθεν γ᾽ ἐπ᾽ ἀριστερά, παῖ Τελαμῶνος, ἔβας.* Cf. praeterea genetivi usum in *κακῶν δυσάλωτος* (OC. 1723), *φίλων ἄκλαυτος* (Ant. 848), *φρενῶν κεκομμένος* (Aesch. Ag. v. 479), similibus, de quibus v. Buttm. § 132 adn. 27. Si vero quis in eo offendit quod vocabulum *οἰοβώτας* reflexiva quam vocant potestate instruximus, eum ad Phil. v. 1148 relegamus, ubi vocabulum *οὐρεσιβώτας* (*ἔθνη θηρῶν, οὓς ὅδ᾽ ἔχει χῶρος οὐρεσιβώτας*) eandem vim obtinet. Cf. Nauck. et Blaydes. (‚feeding on the hills. The accusative plural.') Vid. item quae in adn. ad Ai. v. 604 de adiectivi *εὐνώμας* quamvis ab eo loco alieni potestate intransitiva disputavit Lobeckius. Sunt igitur verba *οἰοβώτας* et *οὐρεσιβώτας* a medio *βόσκεσθαι* ducenda.

‚Neque tamen ego defuturos arbitror qui pinguiora haec esse censeant quique' rus merum me protulisse contendant. At primum ego sic existimo, explicationem rerum quae ad naturam pertinent ab ipsa hac natura petendam esse, non ab aesthetices quam vocant nescio quo praecepto. Deinde autem olim a viro docto audivi quum diceret poetas veteres non tam anxie quam quosdam recentiores devitasse commemorationem rerum quae sensibus percipiuntur et ad communem vitae usum pertinent: id quod maxime in Sophoclem cadere tum luculentissime apparebit quum aliud commentationis meae caput pertractavero quod continebitur omnibus iis rebus, quae ad opera, quae ad artes, quae ad totum denique vitae cotidianae usum referuntur. Postremo autem, quod maximum est, cum aliis Graecae linguae metaphoris perquam usitatis interpretatio mea optime consentit. Memineris velim verba *λύττα* et *λυττᾶν***) a rabie canum creberrime ad hominum insaniam translata, memineris verbum *οἶστρος* compositaque eius quae eadem ab accuratissima animalium observatione profecta de homine dicuntur: nihil iam in nostra interpretatione mirum remanebit. Sed fortasse aliud est quod cum aliqua veritatis specie mihi opponatur. Quid enim? Si oves eo quem descripsi morbo correptae non modo solae vagantur, verum etiam in gyrum circumferuntur: cur poeta non posterius hoc quod multo insignius est secutus verbo *δινεῖν* vel simili aliquo usus est ad vocabulum confingendum? Ad quod ego respondeo furores Aiacis quales inde a v. 51 et 232 alibique describuntur iam sedatos esse et in tranquilliorem insaniae formam abiisse. Cf. v. 193 seqq., 256 seqq. etc. Adhuc autem choro Aiax insanire videtur, cf. v. 608 seqq. et Schneidew. adn.

Itaque quum illud *φρενὸς οἰοβώτας* ab omni parte bene se habere comprobaverimus, non modo coniecturas larga manu effusas (v. Blaydes. ad h. l.) supervacaneas reddidimus, verum

*) Testes huius rei omnes excito et rusticos et medicos veterinarios.

**) *Λύτταν* quoque quam appellabant Graeci vermiculo quodam sub lingua canis habitante concitari putabant. Cf. Plin. h. n. 29, 5, 32, Atque etiam mirum est quod nemo hic de rabido cane cogitasse videtur, cuius in primis proprium est ab aedibus recedere et in solitudine vagari. Tum vero poeta fortasse dixisset *οἰοφοίτας*. — Ad aegrotam quidam pecudem etiam Schneidewinus metaphoram retulit, sed hoc minime sufficit.

etiam id effecimus, ut strophae verba satis corrupta (*ἰδαίαι μίμνων λειμωνία ποίαι μήλων ἀνήριθμος αἰὲν εὐνόμαι*) ad metrum antistrophae refingere liceat. De quibus qui omnes virorum doctorum sententias aut comprobans aut confutans pertractare volet, eum haud parvum sane libellum conficere necesse est: nobis pro consilio nostro satis erit adiecisse, non recte eos facere videri qui scripturam traditam aut totam abiciunt aut longius ab ea recedunt. Quamvis enim verba corrupta sint, tamen tria vel quatuor vocabula exstant, quae sententiae perditae qualis ratio et indoles fuerit significare videntur. Sunt autem ea *λειμωνία, ποίαι, μήλων* quodque certissima et omnibus fere probata coniectura Bergkius reposuit *εὐνῶμαι*. Quae quidem verba quum notionum quasi cognatione quadam inter se coniuncta sint et invicem se tueantur, plane et dilucide indicare videntur bestiarum rusticationisque hic mentionem factam esse et chorum de malis cubilibus suis conqueri. Quam quidem sententiam ut quisque servatis quantum fieri potest codicis verbis et recte procedente metro aptissime exprimit, ita proxime ad verum accedit. Quod quis maxime hucusque sit assecutus*) diiudicare non meum est: tantum monere liceat verbum *εὐνῶμαι* arctissime coniungendum esse cum iis quae praecedunt *λειμωνία ποίαι μήλων*, utcunque haec scribenda erunt. Nam etiam illud chorus in malis suis numerat quod b e s t i a r u m (o v i u m) m o r e h u m i i a c e a t. Haec igitur, ut unde egressa est eo disputatio redeat, metaphora in illo verbo agnoscenda est, ut non sit, cur cum M. Seyfferto simul de castris militaribus cogitemus. Sed haec quidem hactenus.

Jam enim postquam totam, ut nobis videmur, comparationum et translationum ex agricolarum pastorumque rebus petitarum copiam effudimus et uberiorem ad iudicium de Sophoclis erga has res studio exercendum materiam suppeditavimus, passimque nostram de hac re sententiam inseruimus, sequitur ut ad genus quoddam imaginum transeamus quod ex aliis vitae communis rationibus profectum est. Quod quum plerumque a poetis procul haberi soleat, tamen dignum videtur quod diligentius pertractemus. Etenim si de ingenio poetae recte iudicare volemus, non modo quid cum ceteris commune habeat, verum etiam quo differat considerandum erit. Jam vero quum plurimi poetae id agant, ut animos nostros a cotidianis hominum studiis et a communi vitae consuetudine avocent ideoque earum rerum quae eo pertinent memoriam defugiant: apud Sophoclem comparationum quidem et translationum inde desumptarum genus latissime patere atque etiam in deliciis habitum esse demonstrabimus. Quod quum breviter iam attigerit Ed. Muellerus**), tantum abest ut aut totam materiam exhibuerit aut iudicium ab omni parte perfectum de ea re exprompserit, ut accuratiorem disputationem meam quam instituere in animo est non inutilem fore sperem. Praeterea huius viri commentationem ego tam egregiam existimo, ut si quid ad eam vel comprobandam vel augendam vel — utinam hoc mihi contingat — corrigendam afferre potuero, in lucro hoc ponendum ducturus sim.

Monet autem vir doctissimus, inveniri apud Sophoclem imagines venustas ac prorsus singulares quae ab artibus, imprimis fabrorum lignariorum et ferrariorum, desumptae sint.

*) Non male, si sententiam spectamus, locum sic constituit G. H. Mueller (progr. Wongrowitz 1876 p. 6 seqq.): *Ἰδᾳδι* (coni Bergk.) *μίμνων λειμωνίδι ποίᾳ μήλων ἀνήριθμος αἰὲν εὐνῶμαι κτλ.* Praeferendumne *Ἴδᾳ' πὶ* (i. e. ad Idam s. prope Idam) et ut pes irrationalis ne coniectura inferatur: *λειμῶνα πόαν τε* (*λειμῶνι πόᾳ τε*?), in quibus *πόα μήλων* non ipsum sit pratum verum ager alius qui ovibus depascitur? Sed de singulis hic certi quidquam vix affirmaverim.

**) l. l. pag. 34, adn. 100.

Quarum significat hasce quas infra apponimus:

Trach. 767 seqq.: . . . . *προσπτύσσεται*
πλευραῖσιν ἀρτίκολλος, ὥστε τέκτονος,
χιτὼν κτλ.

ibd. 699: (*μορφῇ μάλιστ' εἰκαστὸν*), *ὥστε πρίονος*
ἐκβρώματ' ἂν βλέψειας ἐν τομῇ ξύλου.

frgm. 307: *τοῖς μὲν λόγοις τοῖς σοῖσιν οὐ τεκμαίρομαι,*
οὐ μᾶλλον ἢ λευκῷ λίθῳ λευκὴ στάθμη.

frgm. 421: *ἴσον μετρῶν ὀφθαλμὸν, ὥστε τέκτονος*
παρὰ στάθμην ἰόντος ὀρθοῦται κανών.

His praemittit vir doctissimus Ant. v. 413 et OR. v. 1196 (fortasse menda typographica sunt), ubi nihil eiusmodi invenio, et adicit verborum *ξύμμετρος, ξυμμετρεῖσθαι*, similium usum esse creberrimum ac saepe prorsus singularem. In quibus quam multa desiderantur eaque vel maxime eximia, quae iam addenda sunt! Ac primum quidem de verborum *ξύμμετρος* ετ *ξυμμετρεῖσθαι* usu quid statuendum sit explorandum videtur. Legitur autem OR. 84: *ξύμμετρος ὡς κλύειν*, ubi de lignarii mensura iam non cogitandum; ibd. 1113:

. . . . . *ἔν τε γὰρ μακρῷ*
γήρᾳ ξυνᾴδει τῷδε τἀνδρὶ σύμμετρος,

ubi fortasse propter verbi *ξυνᾴδειν* societatem, ut imago servetur, illud *σύμμετρος* ad cantus numeros modulosque referendum est; Ant. v. 387: *ποίᾳ ξύμμετρος τύχῃ*; verbum *ξυμμετρεῖσθαι* coniunctum cum *χρόνῳ* exstat OR. 73 et ibd. 963. Similiter usurpatum est simplex verbum *μετρεῖν* OR. 561. Sequuntur comparationes plenae a Muellero omissae:

El. 98 seq. . . . . *ὅπως δρῦν ὑλοτόμοι,*
σχίζουσι κάρα φονίῳ πελέκει.

frgm. 745: . . . *εὖ γὰρ καὶ διχοστατῶν λόγος*
σύγκολλα τἀμφοῖν ἐς μέσον τεκταίνεται.

Fortasse etiam huc pertinet verbum *σταθμᾶσθαι* OR. v. 1110, quamquam idem de pendendo dicitur.

Non minor copia est imaginum ex arte et rebus fabri ferrarii petitarum. Sunt vero hae:

Ai. 648 seqq.: . . . . *ἁλίσκεται*
χὡ δεινὸς ὅρκος καὶ περισκελεῖς φρένες.
κἀγὼ γάρ, ὃς τὰ δείν' ἐκαρτέρουν τότε,
βαφῇ σίδηρος ὥς, ἐθηλύνθην στόμα.

Ant. 474 seqq.: . . . *τὸν ἐγκρατέστατον*
σίδηρον ὀπτὸν ἐκ πυρὸς περισκελῆ
θραυσθέντα καὶ ῥαγέντα πλεῖστ' ἂν εἰσίδοις.

frgm. 742: *λάμπει γὰρ ἐν χρείαισιν ὥσπερ εὐπρεπὴς*
χαλκός.

frgm. 761: *ὀργὴ γέροντος ὥστε μαλθακὴ κοπὶς*
ἐν χειρὶ θήγει (?), σὺν τάχει δ' ἀμβλύνεται.

Plenis hisce et consummatis imaginibus addimus similia minora sed ea satis insignia a ferramentis et exacuendis et hebetandis desumpta: *γλῶσσα τ ε θ η γ μ έ ν η* Ai. 584, *ἡ δ' ὀ ξ ύ-*

θηκτος ἥδε βωμία πέριξ κτλ. (?) Ant. 1301, τὸ σὸν στόμα .... πολλὴν ἔχων στόμωσιν, ὀξῦναι στόμα Trach. 1176, καταμβλύνων κέαρ OR. 689. Cf. praeterea usum verborum μαλάσσειν (Ai. 594 al.), μαλθάσσειν, μαλθακός, cui contrarium est σκληρός, quamquam haec iam tenuiora videntur. Aeque huc pertinent vocabula ἐντριβής (Ant. 177), παλιντριβής (Phil. 448), ἐπίτριπτος (Ai. 103). Ad cultiorem denique iam aeris fusorum artem spectat λίγδος in frgm. 33: ἀσπὶς γὰρ ἡμῖν λίγδος ὣς πυκνομματεῖ.*)

En satis magna sane copia imaginum summo studio et accuratissima rerum cognitione descriptarum! Quae quidem tam insignes sunt, ut mirandum mehercule non sit, quod Ed. Muellerus**) poetam puerum in officinis Sophilli patris multum esse versatum indeque memoriam artium illarum tam vividam retinuisse suspicatus est. Nam quum alicunde Sophoclem eam scientiam percepisse necesse sit ac disertis verbis traditum sit patrem eius illas artes (fortasse per servos cf. Muell.) factitasse, sane non est quod illi opinioni officiat.***) Quamquam ego in eiusmodi coniecturis summa cautione utendum esse existimo. Quare iam mihi alia imaginum genera huic affinia percensenda videntur, quo generatim magis et universe de tota hac re iudicari possit.

Proinde adsis, quaeso, nobis, dea Ἐργάνη (frgm. 724), et propitia manu si quae alia e regno tuo deprompta sunt nobiscum communices. Ac primum quidem de carminanda lana sumpta sunt: πέτροισι καταξανθεὶς Ai. 728; ἡδὺ ξανῆσαι καὶ προγυμνάσαι χέρα frgm. 450, ξάσμα (sec. Dindorf. in Trach. v. 838 pro φάσματι restituendum). Deinde ad artem texendi spectant: πάντα δ' ἐρίθων ἀραχνᾶν βρίθει frgm. 269; περιώσι' ἄφυκτά τε μήδεα παντοδαπᾶν βουλᾶν ἀδαμαντίναις ὑφαίνεται κερκίσιν Αἶσα frgm. 604, quamquam num imago haec elegantissima Sophocli sit tribuenda ambigitur. Memoratur praeterea σπαθᾶν et ἀσπάθητος frgm. 849. Optime autem tandem Nauckius quae leguntur Ant. v. 39 seq.: τί δ' ὦ ταλαῖφρον, εἰ τάδ' ἐν τούτοις, ἐγὼ Λύουσ' ἂν ἢ 'φάπτουσα προσθείμην πλέον; ad texendum retulit. Neque vero debuit verborum traditorum ordinem immutare, ut legatur: ἅπτουσ' ἂν ἢ λύουσα. Namque si illa quam constituit metaphora agnoscitur, prorsus recte se habet praepositio ἐπί verbo ἅπτειν praefixa. Est enim ἐφάπτουσα ‚adnectens' sc. telae, tela autem significatur quidquid de Polynice agitur. Dicit igitur Ismena haec: Quid vero . . . aut solvens s. retexens aut telae attexens i. e. aut omittens aut faciens ego proficiam? Lepide poeta hoc modo Ismenam, ut est ingenio muliebri, ex sua tanquam provincia imaginem repetentem facit.†) Aliter comparata esse videntur quae leguntur Ai. 1317: εἰ μὴ ξυνάψων

*) Insigne etiam est quamquam non tralate dictum quod legitur Ai. 820: (σφαγεὺς) σιδηροβρῶτι θηγάνῃ νεηκονής. — ἀκροφύσιον memoratur frgm. 824. Cf. etiam frgm. 724 adn.: τὴν γὰρ Ἐργάνην οὗτοι μόνον θεραπεύουσιν, ὥς φησι Σοφοκλῆς, οἱ παρ' ἄκμονι τυπάδι βαρείᾳ καὶ πληγαῖς ὑπακούουσαν ὕλην ἄψυχον δημιουργοῦντες.

**) l. l. p. 34 adn. 100.

***) Praeter Muellerum ad h. l. conferas Rehdantz. ad Dem. π. τ. εἰρ. § 15, ubi de re consimili in hunc modum disputatur: „Zu den technischen Wörtern gehören auch die aus der Palästra hergenommenen Metaphern. Sie rufen mit Einem Strich ein volles Bild hervor, und diese Bilder einer bedeutenden, zugleich höchst anschaulichen und erinnerungsfrohen Lebensthätigkeit sind dem Hörer zugleich klar und angenehm. Wer liebte nicht die Metaphern seiner Schulzeit?"

†) Animadvertendum est, Sophoclem in effingendis imaginibus diligentissime personarum ad quas pertinent naturam et indolem observare. Velut verba ὠδὶς et ὠδίνειν quantumvis a propria significatione remota nisi de feminis non usurpat. Cf. Trach. 42 et 325, Ai. 794. Aeschylus hoc minus diligenter curavisse videtur. V. Suppl. 770.

ἀλλὰ συλλύσων πάρει. Neque reliquis locis quibus verbum ἅπτειν compositave eius (ἐφάπτειν προσάπτειν) occurrunt insignior imago conspicitur. Unum igitur, si originem spectamus, vocabulum ποικίλος cum compositis restat quod aliquo modo huc referri potest.*) Ex reliquorum artificum numero memorantur λατύποι cum instrumentis λεῖαι et γλαρίδες frgm. 477.

Jam quum aliorum — quod mirum videri potest — operum et artificiorum ratio habita non sit, res confecta foret, nisi ex parte quadam pro aetatis suae ratione etiam artem medicam Sophocles huc retulisset, quae haud mediocrem imaginum copiam poetae praebuit. Quam quidem artem in duas partes abire ei visam esse, quarum altera χειροτεχνίᾳ, altera superstitiosis illis ἐπῳδαῖς contineretur cognoscas ex Trach. v. 998 seqq.: . . τόδ' ακήλητον μανίας ἄνθος . . . . Τίς γὰρ ἀοιδός, τίς ὁ χειροτέχνης ἰατορίας, ὃς τήνδ' ἄτην χωρὶς Ζηνὸς κατακηλήσει; Eandem autem rationem comparationes translationesque sequuntur. Quarum quum permagna multitudo verbis ἀκέομαι, ἰᾶσθαι, νοσεῖν horumque substantivis, compositis derivatisque efficta sit, quae facile in lexicis Sophocleis invenitur, ne spatii concessi fines transeamus, luculentiores tantum hic apponimus:

Ai. 581 seq.: . . . . οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ
θρηνεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι τραύματι.

ibd. 1255: καὶ σοὶ προσέρπον τοῦτ' ἐγὼ τὸ φάρμακον
ὁρῶ τάχ'.

OC. 1194: φίλων ἐπῳδαῖς ἐξεπᾴδονται φύσιν (?)

frgm. 98: . . . . πάντα τἀνθρώπων νοσεῖ
κακοῖς ὅταν θέλωσιν ἰᾶσθαι κακά.

frgm. 514: ὅστις γὰρ ἐν κακοῖσι θυμωθεὶς βροτῶν
μεῖζον προσάπτει τῆς νόσου τὸ φάρμακον
ἰατρός ἐστιν οὐκ ἐπιστήμων κακῶν.

OR. 1395 seq.: . . . οἷον ἆρά με
κάλλος κακῶν ὕπουλον ἐξεθρέψατε,

de quibus bene G. Wolffius in adn. Vocabulum ὕπουλος invenitur etiam in frgm. 952. Cuius simile est ἕλκος metaphorice positum Ant. 652, frgm. 544 et 807. Advertenda praeterea vocabula παιών et παιώνιος in Phil. v. 167 seq. οὐδέ τιν' αὐτῷ παιῶνα κακῶν ἐπινωμᾶν et Trach. 1208 seq.: —ὧν ἔχω παιώνιον Καὶ μοῦνον ἰατῆρα τῶν ἐμῶν κακῶν, -quibus in locis non de solo morbo verum de universa Philoctetae et Herculis condicione cogitandum est; ἀκιὰς ἀπαίωνας frgm. 469. Ad artem magicam cum medicina illis temporibus arcte coniunctam spectant Trach. 1140: τίς τοσοῦτος φαρμακεὺς Τραχινίων; et 1142: τοιῷδε φίλτρῳ τὸν σου ἐκμῆναι πόθον. Quarum rerum quantam copiam censemus suppeditare potuisse fabulam 'Ριζοτόμων, si servata esset! V. frgm. 479—481 et Welckerum (Die Griechischen Tragödien etc.) p. 342 seq. Ad veram autem medicorum artem pertinent vocabula σύριγξ Ai. 1412, ἀρτηρία Trach. 1054, φλέψ Phil 825, ἀδαγμὸς ἀντίσπαστος Trach. 770, σπασμος ibd. 805 et 1082. — Ulcera curantur ἠπίοισι φύλλοις Phil 698. — Sed haec sufficiant.

*) Cfr. Curtii Etym. pag. 164 s. r. πικ, ubi Latinorum quod est ‚acu pingere' et Skt. pêças et pêças-kâri de tela et textrice dicta comparantur.

Jam enim recondita illa paucorum hominum disciplina relicta pergendum videtur ad strepitum fori et nundinarum omnesque commercii et mercaturae res quibus civitatem Atheniensium imprimis floruisse compertum habemus. Quamquam igitur sermonem cotidianum imaginibus inde ductis non vacasse consentaneum est, tamen non inutile erit vel unius poetae orationem eo consilio percensere ut quantum illis rebus tribuerit cernatur. Licet enim singulae metaphorae usu tritae quasi ultro in eam redundaverint, satis tamen magnus numerus restat imaginum quae cum studio et industria a poeta delineatae sunt. Praeterea autem numerus quoque earum respiciendus est.

Priusquam vero tota copia in conspectu ponatur, certis finibus materia circumscribenda videtur, ut quid eo pertineat, quid segregandum sit, inde appareat. Ac primum quidem vereor ne errore in poetae orationem irrepserit translatio illa quae in Ai. v. 978:

(*ὦ φίλτατ' Αἴας, ὦ ξύναιμον ὄμμ' ἐμοί,*)
ἆρ' ἠμπόληκας, ὥσπερ ἡ φάτις κρατεῖ;

hucusque agnosci solebat. In quibus quod est *ἠμπόληκας* (alii *ἠμπόληκά σ'* quod nihili est nec consentit cum illis quae sequuntur *ὥσπερ ἡ φάτις κρατεῖ*) quum interpretes sufferant et a mercaturae rebus translatum censeant, omnes ‚*μιᾷ ψήφῳ*‘ condemnandi videntur, quare singulorum sententias perstringere supersedeo. Nego enim ac pernego Teucrum tum primum ad fratris carissimi exanimatum corpus accedentem frigidissima illa metaphora uti potuisse quam viri docti deprehendere sibi videntur. Namque qui metaphora utitur, eius animo sine dubio illam regionem et tamquam provinciam ex qua petita est obversari necesse est: num vero credemus primo fratris defuncti aspectu Teucri animum nescio quibus mercatorum teneri negotiis? Nec sibi ipse constaret — mox enim omnibus lamentationibus eum commiseratur — et omnino contra naturam humanam faceret. Talis quidem translationis fortasse excusatio esset, si metaphora tam vulgaris tamque usu trita esset, ut omnino non sentiatur. Quod loco nostro ita se habere ne ii quidem contendent qui ut interpretationem suam exemplis confirmarent Aesch. Eum. v. 631: *ἀπὸ στρατείας γάρ νιν ἠμποληκότα Τὰ πλεῖστ' ἀμείνον' κτλ.* vel Hippocr. de morb. IV. 12. p. 608 *E ἢν τοῦ ἀποπάτου μὴ διαχωρέοντος κρατέῃ μία τῶν ἄλλων ἰκμὰς, κάλλιον ἐμπολήσει ὁ ἄνθρωπος* arcessiverunt. Longe enim alia et significatio et tota locorum indoles est. Aptiora vero talis translationis exempla non afferuntur. Quare ego quamquam sane non is sum qui poetae orationem ad cotidiani sermonis tenuitatem detorquere velim verum semper studia mea quantulicunque sunt ad explicanda potius quam ad damnanda mutandave verba eius attuli, tamen hanc metaphoram hoc loco procul habendam esse pro certo affirmare non vereor.

Jam vero quid loco difficili et obscuro faciemus? Nolebam equidem in hac commentatiuncula quae aliud sequitur viris doctis in his rebus volutatioribus coniecturas meas inculcare: tamen breviter dicam quod sentio. Requiri autem hoc loco nihil aliud nisi verbum moriendi notione praeditum et ante oculos positum et disertis verbis pronuntiatum est a Dindorfio qui dicit: ‚Manifestum est idem hic dici debere quod Teucer infra 1026 dicit *ἐξέπνευσας*‘. Quod ipsum quum longius a literarum traditarum ductu absit, ego commuto cum verbo eiusdem notionis rariore et revera poetico, ita ut legam:

ἆρ' ἐμπέπληκας (sc. *τὴν σαυτοῦ μοῖραν*), *ὥσπερ ἡ φάτις κρατεῖ;*

Apte ita et, ut par est, verecundanter et cum euphemismo quodam in talibus rebus usitato

(cf. M. Seyffert. ad h. l.) Teucer interrogat: Ergo implevisti fatum, ut fama obtinet? Exemplum huius verbi *ἐμπιπλάναι* usus invenitur Plat. legg. XII. p. 959 C. *ἐμπιπλάντα τὴν αὐτοῦ μοῖραν*: consimile est *ἐκπιμπλάναι* Herod. III. 142: *Πολυκράτης μέν νυν ἐξέπλησε μοῖραν τὴν ἑωυτοῦ* et apud Homerum *ἀναπιμπλάναι* (Il. IV. 170: *πότμον ἀναπλήσῃς βιότοιο*). Omissionem obiecti ex indole linguae Graecae esse vix est quod moneam; cf. verbum *τελευτᾶν* et permulta alia. Ac potest quidem *ἐμπέπληκας* illud casu in *ἠμπόληκας* depravatum esse: sed ego aliter de vitii origine iudico. Illud quod restitui *ἐμπέπληκας* primum sive errore librarii sive quod non intellectum est corruptum erat in *ἐμπεπόληκας*, hoc autem correctoris*) manu mutatum est in *ἠμπόληκας* quod hoc et metro convenientius et usitatiore augmento instructum est. Cf. *ἐξημπόλημαι* Ant. 1036. Aesch. Eum. 631.

Ita autem quum ex splendida illa translationum tanquam corona flosculum decerpserimus, pergratum nobis accidit, quod alio loco metaphoram multo elegantiorem servare possumus. Legitur enim Ant. 1156 seqq.:

οὐκ ἔσθ' οποῖον στάντ' ἂν ἀνθρώπου βίον
οὔτ' αἰνέσαιμ' ἂν οὔτε μεμψαίμην ποτέ.
τύχη γὰρ ὀρθοῖ καὶ τύχη καταρρέπει
τὸν εὐτυχοῦντα καὶ τὸν δυστυχοῦντ' ἀεί.

In quibus quomodo explicanda essent verba *στάντ' ἂν βίον* interpretes inter se dissensere. Et postquam explicationem Musgravii, qui *στάντα βίον* esse vult ‚superstitem vitam‘ explosit G. Hermannus, ipse iungens *ὁποῖον στάντα* ‚quaecumque stet vitae conditio‘, in quibus notio verbi *στάντα* non satis comprobatum est, aliique alias interpretandi vias ingressi sunt: eo iam ventum est, ut Nauckius *στάντ' ἂν* ‚sine dubio‘ falsum esse censeat. Atqui illud *στάντα* prorsus verum et genuinum est, modo imagines naturam recte perspicias. Satis autem notum est, verbum *ἱστάναι* etiam de pendendo dici solere, quod quidem ex eo ducendum est quod librae lances, simulatque pondera imposueris, nisi altera tota deprimitur, primo quidem sursum deorsum feruntur, deinde vero prorsus exaequatis ponderibus ad consistendum adducuntur (*ἵστανται*), qua in re omnis pensatura vertitur. Intellige igitur *στάντα βίον* vitam adhuc in trutina consistentem i. e. vitam, cuius *ῥοπὴ* nondum facta sive quae nondum finita est. Dicit igitur nuntius, nescire sese qualem vitam tum temporis sive felicem sive infelicem aut laudet aut vituperet, priusquam mors adsit. Itaque etiam nos interpretamur ‚superstitem s. durantem vitam‘, sed aliter ac Musgravius qui non modo imaginem non illustrat, verum etiam iniuria ad Solonis dictum illud notissimum, ‚neminem durante vita ob felicitatem praedicandum esse‘ relegat. Neque enim hoc cogitatione supplendum est, verum nuntius intelligit, post mortem demum de uniuscuiusque vita, utrum beata magis quam misera fuerit, recte iudicari posse. Hoc enim oppositis *αἰνεῖν* et *μέμφεσθαι* iisque quae sequuntur efficitur.

---

*) Haud sane haec tam confidenter ponerem, nisi alia talium mutationum vestigia in tragoediis Sophoclis deprehendisse mihi viderer. Ac luculentissimum quidem exemplum semper mihi visum est quod legitur OC. 1584: . . . . (*ὡς λελοιπότα*) *κεῖνον τὸν ἀεὶ βίοτον ἐξεπίστασο*. In quibus illud *ἀεὶ* a G. Hermanno, Hartungio, Nauckio, aliis damnatum nec tamen probabiliter correctum residuum esse apparet ex *ἀειχῆ* quod pro *αἰχῆ* Sophoclis manu scripto ordini verborum insertum, deinde vero, ut metro satis fieret, mutilatum est. Quare legendum *τὸν αἰχῆ βίοτον* (Hartung *αἰνὸν βίοτον*, Nauck *ἄβιον βίοτον*). Hoc enim ad Oedipi vitam miseram eoque indignam in primis aptum est.

Nostram autem interpretationem veram esse omnes concedent qui saepius a Sophocle ad vitae rationem et ad mortem describendam imagines de trutina adscitas esse satis meminerint. Cf. OC. v. 1508: *ῥοπὴ βίου*, OR. 961: *σμικρὰ παλαιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή·* aeque de vita, sed paullo aliter dicta sunt Trach 82: *ἐν οὖν ῥοπῇ τοιᾷδε κειμένῳ*, agitur enim vita Herculis. Ante omnia autem comparanda est praestantissima illa imago quam Lobeckius et Ellendtius (alter alterius coniecturam ignorans, cf. Ell. l. s. v. *πλάστιγξ*) restituerunt in frgm. 964: *ὅταν δὲ δαίμων ἀνδρὸς εὐτυχοῦς τὸ πρὶν Πλάστιγγ'* (ap. Stob. *μάστιγ'*) *ἐρείσῃ τοῦ βίου παλίντροπον* (Meinekius *παλίρροπον*). — Auspicatur igitur poeta et quodammodo praeparat hac translatione maiorem illam in v. 1158 seq. comparationem item de pensando sumptam: id quod alibi quoque eum facere cognosci potest ex Ai. v. 649, ubi vid. adnot. Schneidewini v. *περισκελεῖς* appositam (ed. VII.), cf. Ant. 291: *κρυφῇ κάρα σείοντες*. Cf. etiam ad h. l. G. Wolffium, qui idem versus illos una imagine contineri animadvertit, ipsam imaginis rationem perspectam non habet; vertit enim illud *στάντα:* während es (noch aufrecht) steht.

Elegantissimam hanc translationem poetae vindicatam commode excipiunt ceterae similitudines a trutina, principali mercatorum instrumento, petitae. Praeter eas autem quas exempli gratia supra apposui inveniuntur haece: El. 118 seqq.: *μούνη γὰρ ἄ γ ε ι ν οὐκέτι σωκῶ λύπης ἀ ν τ ί ρ ρ ο π ο ν ἄ χ θ ο ς*, de quibus cf. Curt. Et. p. 170 (s. r. *ἀγ*). Ellendtius addit Ant. 34: *τὸ πρᾶγμ' ἄγειν Οὐχ ὡς παρ' οὐδὲν* et OR. 784 (*δυσφόρως*) *τοὔνειδος ἦγον*, ubi imagines insigniores non sunt. Blaydesius conicit *ἄγειν μυρίον ἄχθος* in Phil. v. 1168. Plenior similitudo est frgm. 926a: *ὡς μήτε κρούσῃς μήθ' ὑπὲρ χεῖλος βάλῃς* (*ὑπὲρ χεῖλος* Porsonus, codd. *ὑπὸ χεῖρα* et *ὑπὸ χειρός*, Hesychius *ὑπὲρ χεῖλος*). Alia sunt: El. 571: *ἀντίσταθμος*, OR. 1111: *σταθμᾶσθαι* (?), Ant. 135: *ταντalωθείς* (cf. Erf.), ibd. 722: *ῥέπειν*, frgm. 499: *λεπταῖς ἐπὶ ῥοπῇσιν* (?) *ἐμπολὰς μακρὰς Ἀεὶ παραρρίπτοντες* (Meinekius *ῥιπῖσιν*). Eodemne redeunt *παραρρίπτειν* (aliter dictum in frgm. 499) OR. 1493 (extra lancem ponere, nihili pendere?) et Ai. 475 seq.: *Προσθεῖσα κἀναθεῖσα τοῦ γε κατθανεῖν;*? Reliqua etiam incertiora sunt.

Praeterea e commercii mercaturaeque rebus desumptae sunt imagines magis generales:

Ant. 1034 seqq.: . . . . *κοὐδὲ μαντικῆς*
ἄπρακτος ὑμῖν εἰμι · τῶν δ' ὑπαὶ γένους
ἐξημπόλημαι κἀκπεφόρτισμαι πάλαι.
κερδαίνετ', ἐμπολᾶτε τἀπὸ Σάρδεων
ἤλεκτρον, εἰ βούλεσθε, καὶ τὸν Ἰνδικὸν
χρυσὸν κτλ.

Trach. 537 seq.: *παρεισδέδεγμαι* (sc. *κόρην*) *φόρτον ὥστε ναυτίλος*
λωβητὸν ἐμπόλημα τῆς ἐμῆς φρενός.

frgm. 756: *Ὠνὴν ἔθου καὶ πρᾶσιν, ὡς Φοῖνιξ ἀνήρ,*
Σιδώνιος κάπηλος.

frgm. 635: *ὡς καπηλείου θύραι.*

Phil. 511 seq.: *ἐγὼ μὲν τὸ κείνων κακὸν τῷδε κέρδος*
μετατιθέμενος,

ubi vid. adn. Schneidew. Cf. omnino usum creberrimum verborum *κέρδος* et *κερδαίνειν* gravioresque translationes quae verbis emendi et vendendi continentur. Sunt autem hae: Ai.

477: *οὐκ ἂν πριαίμην οὐδενὸς λόγου βροτόν* (Nauck. et Madvig. *ποιοίμην*), Ant 1170 seq. *τἄλλ' ἐγὼ καπνοῦ σκιᾶς Οὐκ ἂν πριαίμην.* Phil. 417 *οὑμπολητὸς Σισύφου Λαερτίῳ*, Ant. *ἐμπολήσων τὴν φρένα*, Trach. 93: *κέρδος ἐμπολᾷ*, Phil. 579: (*τί με κατὰ σκότον*) *διεμπολᾷ λόγοισι*, frgm. 517 *διεμπολώμεθα*, Phil. 978: *οἴμοι· πέπραμαι* (*κἀπόλωλ'*). Vocabulum technicum videtur etiam verbum *ἰέναι* in frgm. 717: *τὸ κέρδος ἡδὺ κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἴῃ*, cf. *προσιέναι* Herod. III. 89, Thuc. II. 13, al. Generale suum de mercatorum per maria navigantium (*ποντοναῦται* cf. Ell. s. v.) vita aerumnarum mutationumque plena iudicium poeta exponit frgm. 499.

Quid autem, ud iam ad finem veniam, ex omnibus istis colligimus? Equidem audacioribus de poetae vita coniecturis quales interdum proferuntur hic abstineo, praesertim quum reliqua comparationum translationumque genera, quamquam dudum a me collata sunt, nondum in conspectu posuerim: tantum vero iam nunc perspicuum videtur, eum esse Sophoclem poetam, qui non modo interiorum reconditarumque sententiarum copia et subtilitate excellat, verum etiam omnes res quae in sensus cadunt quaeque ad communem huius vitae usum pertinent intentis oculis observaverit et poesis lumine illustraverit, qua in re cum uno comparari potest Goethio. Neque talia cognovisse et exemplis probasse inutile est.

Heu vana hominum consilia! Totam iam commentationem confecturus, quin etiam alia adiuncturus iterum particulam tantum perexiguam conscribere potui! Hoc autem eo magis doleo, quod satis incertum est, quando futurum sit ut reliqua emittere liceat. Quare iam hic potiores quosdam locos ad quos vel explicandos vel emendandos occasione oblata aliquid conferre conatus sum indicabo:

In partic. I.: Ant. 826 (?) pag. 8 et 9, Trach. 396 pag. 11 et 12 (ibd. schol. in adn. I.), Ai. 61 pag. 12 et 13, Phil. 163 pag. 14 et 15.

In partic. II.: El. 1384 seq. pag. 5, Ai. 614 pag. 6 seq., Ant 39 (cf. Nauck. ad h. l.) pag. 10, Ai. 978 pag. 12 seq., OC. 1584 pag. 13 adn., Ant. 1156 pag. 13 seq. In quibus si forte cum aliis conveni, propter subsidiorum inopiam velim mihi ignoscatur. —

Graviora part. I. menda typographica haec sunt: pag. 5 v. 15 artificium pro artificum, pag. 6 v. 10 percensandarum pro percensendarum, pag. 7 v. 11 ipso pro ipsa, ibd. *ἀναχαιτίξειν* pro *ἀναχαιτίζειν*, ibd. in adn. v. 2 *ῥυτῆρος* pro *ῥυτῆρος*. Incidendum denique pag. 4 v. 18 post v. ‚secluderet‘. —

